




3

14

15



D DIONYSII

CARTHVSIA ni,
Doctoris extatici vita, si
mul & operum eius fidiſſi
mus catalogus.

Colonice excudebat Iaspar
Gennepius. M D XXXII.

INTELLECTUS VARIAT PARVULIS
BENEDICTVS DEVS IN SEC VLA

DIONYSIVS CARTHVSIENSIS

HUGO GRA

HUGO LI

RELIGIOSO PATRI

Theodorico Loera Stratis, Vica-
rio domus Carthusiensis in Co-
lonia, Iohannes Houghto.

S. P. D.

Miraberis forsitan religiosissime pa-
ter, quid sibi velint ignotæ hæc li-
tere, et longinqua regione ad te mis-
sæ. Sed ut cito mirari desinas, scis
as odorem illum in fragrantissimum eximij pa-
tris nostri Dionysii esse, qui has literas meas
ad te (imo ad se apud te latentem) iam attra-
xit. Is etenim adeo corda nostra suis sacratissi-
mis scriptis & documentis sibi allexit, ut eo ca-
rere sine graui molestia minime possimus.
Nobis etenim sapiunt opera eius melliflua
& sanctissima præ cæteris pene omnibus sa-
cris scriptoribus (quod cæterorum omnium
pace dictum sit) quos hætenus legimus:
adeoque eadem eius opera apud nos rara
sunt, ut votorum nostrorum in hac parte mi-
nime compotes esse possimus, videlicet in eis
legendis & relegendis. Nam quodcumque
aliqua eorum huc venerint, adeo ab alijs
pijs eruditisque viris mox rapiuntur, ut nos
pauca eorum acquirere possimus, sed fame-
licite

lici remanere cogamur. Porro venerabilis pa-
ter Prior de Henton in hac prouincia, qui dus-
dum in maiori Carthusia apud Capitulum
nostrum generale fuerat, reuersus nobis re-
ferebat, paternitatem tuam ibidem ei promi-
sisse, te huc ei velle transmittere quotquot
prædictorum operum desideraret, si ea emere
vellet. His nuncijs auditis animatus ego,
sperabam me breuis voti futurum compo-
tem. Rogo igitur (ut ad compendium ve-
niam) imo obsecro paternitatem tuam, ut
mihi tam tibi ignoto, transmittere velis quic-
quid commode poteris, omnia opera eiusdem
pijsissimi patris nostri DIONYSII decies,
id est, decem volumina ex omnibus & sin-
gulis operibus eius hætenus impressis. Et
præter ista mittere digneris etiam (rogo) vi-
ginti libros illius opusculi, quod nos de Con-
temptu mundi appellamus, & totidem etiam
illius opusculi, quod Scala religiosorum inti-
tulatur. Nec dubites quin hoc faciendo,
plurimum apud deum promerereberis. Mittas
que obsecro precia omnium prædictorum
operum sigillatim per se. Et in partem solu-
tionis pro eisdem, accipies ab harum baiulo
pecunias ad valorem sex librarum, tredecim soli-
dorum & octo denariorum sterling, faciètes apud
vos, ni fallor, s. z. aureos. s. s. iuferos Bra. Et
quicquid soluendum fuerit amplius, si tuo roga-
tu, V. P. Prior vestræ domus pro me dignatus
A si fuerit

fuerit exponere, ego cum multa gratiarum acti-
onum vsura polliceor per hæc scripta, me q̄
breuissime porero, ei easdem pecunias trans-
missurꝫ, postq̄ summam cognouero. Vel si
maluerit (id quod ego quoq̄ multo malim
ob pericula in itinere) solam hic cuiuscꝫ ipse
mihi mandare dignabitur. Præterea quicq̄
deinceps de prædicti Reuerendi patris Dio-
nyssi pijs operibus contigerit imprimi, si duo
decim libros de singulis mihi transmittere di-
gneris, ego polliceor me sine mora pecunias
redditurꝫ, statim postq̄ per literas tuas sum-
mam cognouero. Deniq̄, & tu perge charis-
sime pater strenue perficere quod incepisti,
id est, non te peccat diligens illa & deuora so-
lertia tua, quam hæctenus exhibuisti in præ-
satum sanctū Dionysium nostrum, chalcogra-
phorum typis tradendum, donec omnia & no-
uissima eius videre mereamur. Nil omnino du-
bitans, quin a pio dño pro mercede, cum ul-
tione benedictionis accepturus sis in celestibus.
Et vtinam plane tum vobis, tum nobis arri-
deret tam abundans pecuniarū copia, q̄ abun-
dat pia voluntas in omnia prædicta opera
eius edenda: tunc sperarem certe Extaticum
illum Dionysium nostrum mortalibus quasi stel-
lam matutinam splendidum ac fulgidum bre-
ui appariturum, & a plurimorum cordibus te-
uebras illas hæreticæ prauitatis effugatu-
rum: verumq̄ fidei lumen, cum pijs operibus
deco-

decoratum, eorundem cordibus cito inductu-
rum. Sed de his satis. Vale in visceribus dul-
cissimi saluatoris charissime pater. Ex ædibus
nostris Carthusianis prope Londonias in An-
glia x. kl. Augusti. 1552.

Per fratrem tuum in Christo Iohannem
Houghton ibidem priorem indignum.

VENERABILI AC RELIGIO-
so patri D. Iohanni Houghton. Carthusianę
domus prope Londinum in Anglia Priori vi-
gilantis. dignissimoq̄, F. Theodoricus Loer-
a Stratis, eiusdem sacri ordinis apud Co-
loniam & monachus & vicarius.

S. P. D.



Vantam ex tuis literis hauserim
voluptatem pater venerande,
verbis consequi non possum. Pri-
mum quidem, quod post eximium
illum virum, in omni tum scien-
tia tum virtute præstantem, Iohannem Bar-
mansonum antecessorem tuum, hæc luce de-
functum, (qui impense Dionysio fauebat) te
sacer ille tuus conuentus sibi præfecit in Prio-
rem. Cuius virtutibus ac laudi, iure is qui te
præcessit, si posset inuideret. Quippe qui or-
dinis nostri censuram, qui literas, qui deniq̄
virtutes adeo colis & obseruas omnes, vt ni-
hil supra. Taceo autem loco non infimo cen-
sendum, q̄ meum Dionysium tanti facis, vt

A iij si

si angelicæ illi tuæ Angliæ notus non esset,
per te solum posset satis iuxta merita prædi-
cari. Quare cum sciam Angliam illam uni-
uersam tot doctissimis viris refertam, quos
omnes Dionysium percipiunt, vel propter il-
los, si alius esset nemo, nullus mihi erit labor
grauis. Iam vero tu ultro currentem inuitas.
Quid dicam? Puto iam nobis in te, quod Iacob
vix venerat, accidisse: nempe quod adeo in te su-
mus consolati, ut luctus quem ex antecesso-
ris morte incidimus, nouo gaudio obliterare-
tur. Accessit hinc aliud mihi gaudium, quod
quam hactenus nauau operam in euulgandis
Dionysii operibus, merito non poenitere
me debeat, sentientem adeo doctis gratâ Dio-
nyssii lectionem: potissime cum ad hanc prouin-
ciam, qua ante nos non pauci celeberrimi vi-
ri fuere deterriti, nil adeo me pertraxit, ut ob-
edientiæ studium, honor dei, zelusque anima-
rum, & ut eruditus iuxta ac pijs seruirem.
Quorum aliquod an sim assequutus, plane
nescio, nisi quod doctorum tot literæ, tot monita
superiorum me assidue confortant, ne operi
coæpto subtraham vires. Petis subinde in epi-
stola tua Dionysii vitam, petis omnes Diony-
ssii libros tibi mitti. Nihil magis cupio quam ut id
fiat. Vt inam hunc diem viuam, quo Dionysii
opera omnia videam typis excusa. Edita sunt
iam operum eius nonnulla, at nihil ad ea que
hucusque latent. Vincit typographos, vincit
præs

præla, quorum non minus sex, aut septem in
studiosorum piorumque gratiam Dionysio ex-
cudendo occupantur, vincit denique marsupium
nostrum operum Dionysii multitudo. Et
cum omnia rei magnitudine pene succubant,
animus mihi permanet inuictus, quo tuo ac
aliquot piorum suffragio fretus non desinam
anre (nisi me vita deficiat) quæ Dionysii omnia
opera dederim in lucem. Cæterum ut tuo sa-
tisfaciam desiderio, omnes Dionysii tibi libros
mitto: haud quidem ut tu desideras, typis ex-
cisos planeque editos, sed nomina sola, nudosque
titulos librorum: ut quos amas deside-
res ardentius, hocque librorum eius elencho vi-
deas quid habeas desiderare. Magna certe
industria, magna vigilantia, nec minori labo-
re conatus sum operum Dionysii catalogum com-
portare, at indies librorum eius copia maior
administratur, quos Dionysii esse, & phrasibus &
pietas eius in deum singularis, & (quod his
certius est) manus eius, qua omnes quos elu-
cubrauit scripsit, indicant. Nihilominus tamē
adhuc non extare dolemus plures, quos cer-
tissime Dionysio scimus authore prodijisse.
Quorundam vero, quos in lucem dedimus,
titulos minus latinos mutaui, subscribē-
do integras exordia, sententiās, ne sub Dio-
nyssii nomine etiā aliena procedant, & etiā ut cu-
rioso huic seculo non nihil seruire videamur.

Nihil enim vel in hac vel in alia quacuncq; re
laboris industriæue Dionysio nostro deerit
ex parte nostra, quod in eius laudem possit
desiderari. Tuum quoq; posthac erit nihil in-
teutatam linquere, quod in eius possit, quem
amas, frugem accedere. Vale pater multis

tū dilecte, & (quod soles perge, promo-
uere Dionysium illum tuum iuxta ac
meum: Vicarium tuum Guilhel-
mum Exmew, reliquosq; omnes
isthic Dionysii ac nostros amis-
cos, potissime autem venera-
bilem & integerrimum pa-
trem Priorē de Hen-
ton Conuirsitato-
rem, nostris
verbis saluta.

Iterum vale ex Car-
thusia Coloniensi, ipsa die
octauarū Natiuitatis gloriosiss-
ime virginis Mariæ. Anno. 1532.

D. DIONYSII CARTHUSIANI

Doctoris sextatici vita.



Dionysius, Carthusiensium ordinis
alumnus, vir magna sanctitate cla-
rus, contemplatione sublimis, eru-
ditiōe copiosus, mirabilis ingenio,
memoria singularis, pietate incōparabilis, cir-
ca annum domini millesimū quadringentesi-
mū quinquagesimum, tam vtilis mundo q̄
deo charus floruit. Huic in Hasbania Leodien-
sis diocœsis Rickel vicus patria fuit, distans
ab oppido Sancti Trudonis stadjs nō minus
viginti. Parentes habuit admodū honestos,
secundum seculi fortunam non infimæ for-
tis, quibus auitum genus, de Leuwis indidit
cognomen. Ab his adhuc puellus extra patri-
am literis traditur erudiendus. Inerat autē illi
incredibile discendi desiderium, adeo vt no-
ctu quoq; (quemadmodum in libro de munis-
scentia dei consistitur) ad fulgorem lunæ sæ-
penumero excitatus, surgeret, ad scholas exi-
turus, atq; diem æstimasset, nisi domus fores
inuenisset obseratas. Erat etiā memoria præ-
ditus admirabili, qua semel quicquid legerat,
sine graui labore tenebat. Vnde factum est,
vt tam felicitate ingenij, q̄ studij assiduitate,
breui mox tempore, non sine multorū admi-
ratione, tam doctus euaserit, vt perfectis phi-
losophis possit adnumerari. Verū quia optis

Cōmen-
dat Dio-
nysius a
discēdi
desideri-
o, a feli-
citate in-
genij, et
memori-
a admi-
rabili.

A v mæ

Flagrat
deside-
rio Car-
thusianę
religio-
nis Dio,

ma indolis adolescentulo, nō solum scientia,
verum etiā pietas cum ætate accreuerat,
quod ab infantia meditatū fuerat, iugo do-
mini statuit innocentię suę colla submittere.
Cupiebat enim ante relinquere mundum, q̄
mundi laqueis irretiretur. Nam ob rem Car-
thusianę eremi desiderio flagrans, quid age-
ret, quomodo ve id impetraret, nesciebat. Nā
vigesimalium necdum attigerat annum, quam
ætatem ordo ille in suscipiendo exquirat alu-
mno. Porro in seculo manere, & inter castitas
is naufragia tutum enatare, haud possibile
videbatur. Itaq; amore Carthusiani instituti
indies crescente, visum fuit, licet nimium ad
huc adolescenti, duabus in domibus Carthu-
sianum instando tentare, si illorum sodaliti-
o ac institutis sociari mereretur. Festinat igitur
ad Carthusiam montis S. Iohannis Baptistę
in Zeelem prope Dyest. Inde Ruremundam
quę est Geldrię oppidum, concedit, in vtra-
que preces offerens, sed vtrobiq; ab earundē
domorum patribus, quia per ætatem aliter
non licuit, receptio eius potius differtur, q̄ ne-
gatur. Itaq; desiderio suo tunc frustratus Dio-
nysius, quod animo cœperat, non propterea
abiecit, sed in tempus magis distulit opportu-
num. Verūtamen quid ageret interea, q̄
modove tutus mundo imponeret, & Carthu-
sianę aptiorem se redderet solitudini, dū ani-
mo tractare cœpisset, in mentem ei venit,

q̄

q̄ post exercitia illa spiritus ad deū affectiua,
quę maxime in ordine illo (quę erat ingressur)
frequētatur, nihil sibi foret dulci⁹, nihil cōmo-
di⁹, q̄ intelligētia scripturę. Igitur nihil mo-
ratus, euestigio Colonię Agrippinā, vbi Aca-
demiā nouerat Germanicę celeberrimā, se cōtu-
lit: in qua theologię studijs se applicās, vt fieret
doctissimus, operā omnē nauauit: vbi quā
tutius euaserit, testatur liber quem de ente & es-
sentia ilico post adepta magistris insignia scri-
psit: restantur & libri eius ceteri, quos in or-
dine subinde scripsit Carthusiā, a doctis sem-
per laudati, potissime super vtriusq; testamē-
ti paginis, aliq; varij ac pene innumerati: adeo,
vt in ecclesia dei, qui tantundē scribendo suda-
uerit, qui tot libros eruditione iuxta ac pietate
refertos ediderit, parē habuerit neminem.
Cui tamen si abbas Spaehemēsis solū pferat
Augustinū, quę nos quoq; si de eruditione ac
pietate certetur scribentiū, preferimus, certis-
simū est tamē, ex his quos ipse in suo de eccle-
siasticis scriptorib⁹ recēset libro, neminē q̄nta
Dionysius hic Carthu., scripsisse. Vnde cōficio
abbatē Spaehemēnē. Diony. libros nō omnes
vidisse. Quorū pfecto tātus est numerus, vt iu-
ratiētā mūdo nō credere possibile fore, tot
libros eodē authore natos pdiisse, in q̄s grā-
dia plurima sunt volumina, nisi vnus Diony-
si & ingenū & stylū, manum quoq; ac cha-
racterem, prorsus eadem vbiq; conspexissem.

Suos

Colonię
studij
applicat
Theolo-
gicis Di-
onyfius

Suos enim ipse conscripsit libros, relegit, cor-
rexit, rubricaque illuminauit. Quae omnia no-
tissima, singularis manus eius & character tes-
tantur. Et hoc quidem pro constanti relinq-
uimus. Vnde neminem audiui, qui viri huius
laborem sine stupore viderit, qui non senserit
mecum, absque ingenti miraculo fieri non potu-
isse, ut vnus vir tot scripserit libros, quantū
ipse aestimandus est non habuisse temporis,
imo (ut verius dicam) quantū incredibile vi-
detur, etiam quemlibet alium ab omnibus se-
riatum posse legere. Nam ut caetera eius oc-
cupationes, quibus a scribendo fuit remora-
tus, taceam, certe in ordine illo vixit Carthusiano,
a cuius diuino officio, quod satise est prolixum,
nunquam absuit, in quo procurationis & Pri-
oratus officia aliquanto tempore obiuit. De
monasterio abstractus a domino Cardinale
Nicolao de Cusa, summi pontificis Legato,
aliquandiu ecclesiae negotijs seruiuit. Contem-
plationi praeterea ac orationi modo peculiar-
iter fuit deditissimus. Porro lectioni ac studio
(quod in libris eius anifestissimum) est pene as-
sedit continuus. Ad haec ex tota pene Germa-
nia pro consilijs ad eum confluebant innume-
ri, adeo, ut in dandis consilijs & epistolis scri-
bendis fere nunquam non fuerit impeditus. Acce-
dit postremo, quod in monasterio tunc suo
non habuit, quibus indigebat, quibus & usus
est libris. Inde illi occupatio immodica para-
batur

Nicolao
de Cusa
Cardin.
char? &
i oblego
fuit Dio
nysius.

batur pro codicibus aliunde conquirendis. Ve-
rum haec de multitudine librorum, in quibus
si diligens sit lector, si non inuidus spectator,
perinde inueniet quod possit mirari. Adeo nam-
que plenus est eruditione, adeo copiosus varie-
tate, adeo pietate refertus, ut nihil supra. Vi-
debis plane quod nihil quod caeteris perspicuum
fuerit, illum fugerit: quod multa insuper, quae non
quaesieris, quae non speraueris, ad suauitatem
& pro desiderio tuo ministraret. In lucubrati-
onibus tamen suis ubique circa scripturae tex-
tum versatur, nec ostendit se ullam admittit
occasionem, qua ab instituto diuagetur. Ac-
cedit praeterea ad Dionysii laudem, quod in illius
libris nihil fucatum, nihil tumidum, nihil ha-
beat a prius moribus alienum, sed (ut dixi)
eruditio tam lucida quae abundans, adeo ut ni-
hil in illius libris tibi desiderandum restet, nisi
fortasse elegantia verborum stylusque venu-
stior. In quo tamen potest excusari, quippe
qui suo scripsit saeculo, suae aetatis hominibus,
atque eo tempore, quo lingua Latina, praeter-
stim politior, neque in usu, neque in precio doctis
fuerit. Nam si in nostra incidisset tempora, si
praeprores literatos, & libros sortitus fuisset
Latinos, cum ipse fuerit literarum deside-
rantissimus, crederemus etiam in politioribus
illum vix alicui fuisse secundum. Obsecro au-
tem eos qui haec sunt lecturi per Christum, ne
ita me putent velle extollere Dionysium, ut
caeteros

cæteros deprimam, aut quibus anteferendū non est, hunc anteponam. Manet singulis sua præminentia, quæ non superatur ab alijs. Pari modo huic nostro Dionysio tribuendū est, vt in ipso præmineat aliquid eidem singulare, quod desideretur in cæteris. Hunc virum olector, huiusq; eruditionem, & Carthusiana religio, & ecclesia omnis catholica, acceptū referre merito debet academix Agrippinensi, in qua studia sua initiatus, tantus euasit, vt in e remota etiam Carthusiana postea fieret notus orbi, cunctisq; & doctis & pijs celebris haberetur. Nam de illo summus etiam pontifex Eugenius dixisse fertur, quando librorū eius quendam sibi vidit oblatum, Læteretur mater ecclesia, quæ talem habet filiū. Igitur (vt ad enarrandam vitæ eius conditionem pagamus) ab Agrippina Colonia recedens, Rurumundam concessit, ibi Carthusiam desideratam repetens, posthabitis omnibus, monachum se deo consecrauit. Vbi mox vt sacrum habitum suscepit, tam religiose, tamq; integre vixit, vt etiam perfectis viris in se ostenderet quod dignum foret imitari. Adeo nanque se a mundi amore abstraxit, adeo ab inuoluntatis sermonibus temperauit, adeo ab immoderato creaturarum vsu abstinuit, adeo se inutilibus non occupauit, adeo deniq; nudum liberumq; a vitijs animum deo obrulit, vt diuini amoris dulcedine ebrius, frequentes pariteretur

Cōmendat sum m^o pōti fex Eugeni^o Dionysii.

Rure mūde in ordine Carthusiano monachū se consecrat deo Dionysius.

teretur ad deum mentis excessus, & diuinis consolationibus continue illustraretur. Siquidem in oratione sæpenumero raptus ad deū, tres aut plures horas stetit sine sensu immobilis, viribus animæ in deum abstractis. Quid multa? adeo charus deo factus est in solitudine, vt supernis illum reuelationibus dignatus sit, & merita eius ac preces quantū apud se valerent, etiam mundo ostenderit. Senses eius orationum virtutem desolati ac tristes, senserunt item inferi potestates. Sed illi vnde gaudebant, hæc vnde inuidebant. Porro siue loqueretur, siue scriberet, licet tenuis esset facundia præditus, eruditionis nihilominus gratia eminebat singulari. Orationi vero tanto instabat feruore, vt præter eas preces quas ordo ille habet prolaxas, Dauidicū sæpenumero eodem die peroraret psalteriū. Erat autem procero ac robusto corpore, laborum vigiliarumq; patientissimus. Vnde iuxta ordinis sui præceptū illum rigore, post cantatas cum fratribus preces matutinas, quies quid supfuit noctis, non quæti aut somno, sed studijs ac orationibus dedit. Nonūq; etiā integras noctes in oratione reclusus est vigilasse. Atq; adeo cū ceteri in hoc illū mirarentur, respondisse fertur: Ego ferreū habeo caput & enesū stomachū. Cōstat sane optimis ac robustis illū naturæ viribus fuisse, quibus arduū singulariq; viuēdi modū humilitatis ac modestiæ causa tribuit.

Ferreū caput & enesū stomachū habere se dixit.

Veruntā

Deuotio Verumtamendeuotionis gratia in illo lōge
ne hūili fuit potentior, quæ ad hæc & alia cōplura cæ
tare & teris fortallē haud possibilia, ipsum magno i
abstinē pulit feruore. Fuit & mirum in modum hu
tia admi milis, quippe quem magnificientibus cun
rabulis ctis, ipse se contemnebat. Nec quod de seipso
fuit Dio vilia sentiret contentus, cupiebat etiam in ali
nisus, orum oculis vilis haberi. Idcirco pro defecti
bus vel maxime exiguis grauit se accusans,
& palam & secreta humiliabat. Nec aliter
modica delicta, in quibus pleriq; solent glori
ari, ac ceteri magna, plangebat. Conuersatio
onis internæ semper illi studium fuit: ideo sa
ragebat, vt secum habitans, semper domino
sabbatizaret. Quo fiebat, vt sensuum oblecta
tio in illo fere mortua esset. Nam & ea quæ
circa nauseam ceteri vix possint intueri, ipse
pro cibo sumebat. Butirum rabe factum ver
mibus, cerasa, & alia id genus multa a lima
cibus præguſtata, comedere non respuit, di
cens hoc genus vermium nihil habere letalis
veneni, nec metuendum cum eiusmodi sume
re eundem cibum. Haleca si quando salsa fuis
sent nimis, a quis immergi atq; in aerem ius
sit suspendi, nec edebat donec cella putore op
pleuerent. Monitus ne sumeret illa, malo, in
quit, potentia in cibum sumere q̄ salsa. Ab
dicauerat enim iam pridem a se omnem dele
ctum cibi, & ob feruorem exercitiorum spiri
tualium, diem sæpenumero ad noctem vsq;
transige

transigebat mediam. Adeo namq; in legendis
scribendisq; libris erat assiduus, adeo in ora
tione feruidus, vt prandium propter illa non
nunq; differret, & frigidus sæpius vteretur ci
bo. Semper etiam, siue vestiret, siue exueret
se, aut aliud qd operis ageret, nihilominus ora
bat. Abstinentia eius in cibo potu q̄ fuit mi
rabilis, nec multis imitanda. Sed quid opus est
ad præconium viri nostris verbis, quãdog
dem scripta eius præclara hunc nobis abun
de satis commendant? Dionysii integritas lō
ge manifestius ex eius codicibus, q̄ nostris
sermonibus prædicatur. Vnde visum est ali
quando patribus domus suæ, propter viri
dexteritatem, illum officio procuracionis præ
ficiendum. Qui licet contemplatiōi aptior fo
ret q̄ actioni, ne tamen propriæ voluntatis q̄
obedienciæ tenacior videretur, officij huius p
uinciã obiuit. Vez de colligendis animabus
maior illi atq; de pecunijs cura fuit. Nã Iude
um magno tunc studio conuertens ad ortho
doxam fidem sacrumq; adduxit baptisma.
Hanc obrem Iudæus ne Dionysii zelo ac pa
ternæ sollicitudini haberetur ingratus, patris
sui spiritualis nomen sibi in baptismo im
posuit. Vocatus est enim Dionysius Dionys
sii. Hic creditur Dionysiorum familiæ in Ru
remunda (quæ hodie propagata cernitur) &
nomen & posteritatem dedisse. Ceterum, q̄
spiritus eius generosus distractiones rerum ca
B ducar;

procura
tor sa
ctus con
uertit Iu
dæum.

carum temporaliumque non poterat ferre, re-
lictis officio, exercitijs deuotissimis cellę, li-
bris scribendis, & cupitę solitudinis est refri-
gatus. In qua tamen non potuit adeo latere,
quin pontifices & principes, atque alij inferioris
gradus, vndique ad illum confluere, scri-
berent, nuntiarent, atque certatim suis consilijs
admouerent. Quippe quorum nemo, qui se-
mel illi adfuisse, quantę sinceritatis,
quantęque apud deum meriti foret DIO-
NYSIVS ignoraret: nemo, qui non ad
illum redire gestiret. Vnde factum est, vt re-
uerendissimus dominus Cardinalis de Cusa,
in Germania Apostolicę sedis legatione fun-
gens, dum huius viri eruditionem & sancti-
tatem comperisset, ipsum e claustris educit,
suo contubernio in vtilitatem ecclesię asci-
uit. Verum Dionysius non impiger, datam si-
bi hanc occasionem in lucra conuertit anima-
rum. Nam in contubernio domini Legati cõ-
stitutus, quod de seipso quoque scribit, vtriusque
sexus monasteria multa, reformationis gra-
tia visitauit, atque de reformatione monialium
perutilem tunc edidit librum. Propter hæc &
alia multa, quibus gloriam dei, animarumque
salutem zelabatur Dionysius, diabolus in sui
persecutionem excitauit. Hinc namque bonorum
omnium inimicus moliebatur multa, vt inuisi-
sum atque exosum redderet mundo Dionysium.
Sentebar enim inuidus, quantę castris suis
quoti

quotidie per Dionysium animarum copię abduces-
retur. Referã igitur seculis inauditum posteris mi-
rabile, & quod hodie quę nemo crederet, nisi ve-
ritate atque re ipsa vinceret. Mulier quędam
Gebula (id enim erat illi nomen) diabolo cõsen-
tiens, inito foedere, eidem homagium fecerat,
atque vt longius a spe recuperandę salutis abdu-
ret, per uasa diabolo chirographum sanguine pro-
prio scripsit. Itaque pessimo huic incubo mulier
facinorosa diu sociata, ducebatur in remotissi-
mas mundi partes, & vbi cūque vel in Asia, vel in
Aphrica ludii aut spectacula publica exhiberet,
tibi diabolo duce mox aderat. Pugnabat
hasta, imo quęcumque armorum aut pugnadig-
nę ex-
petere, cõgrediens vicebat. Denique ab equis te-
nera mulier armatos viros, & suo claustris adiuta
amatore, mundo sic diu illudit. Sed quod miranda
uia profundius? Quid consilijs eius super filios hominum
inuestigabilius? Hęc tãdem in se reuersa, consilio
viri dei, cum Reuerendissimo Cardinalis de Cusa adesset,
quę (vt supra dixerim) comitabatur iam Dionysius,
ad penitentię remedia cõfugit. Siquidem
Dionysii monitis & orationibus cõfortatã, nõ
propria facinora, nõ sacrilega promissa, nõ scri-
ptum chirographum, nõ denique ex amatore iam ho-
stis minę poterant illã a spe diuinę miseratiõis
absterre. Sed post innumera flagitia, post
foedissimas abominatiões, post spurcissima cum
diabolo cõmertiã, rupto sacrilego foedere, ad
diuinę clementię sinum peccatrix lachrymabunda cu-

Mulie-
ris cuius
piã, quę di-
abolo
homagi-
um fece-
rat, post
mirabi-
lia gesta
cõuersio

O Dionysii zelum ac sapientiam. O mulieris
fidem. O Christi infinitam misericordiam. Quis
crederet hanc diaboli iam faucibus absorptam,
posse aliquando emergere? Quis speraret
eam quae diabolo se dederat, ex illecebroso
eiusdem stupro quo fuerat polluta, in adop-
tionem filiorum dei posse redire? Verum quod
hominibus videtur impossibile, facilimum be-
nignissimo est creatori. Itaque haec infusa lachry-
mis, ad Cardinalem est adducta. Ibi amatori
suo diabolo abrenuntians, iterum se Christo
deuouit, factaque eidem criminum suorum con-
fessione, & poenitentiae haud exiguo labori
astricta, a peccatis omnibus, & diaboli pactis
absoluta est. Et ita quidem licet esset Christo
reconciliata, non tamen ab improbiissimi in-
cubi est poenitentiae liberata, diuina (quod
reor) iustitia id permittente, ut cui se olim vlti-
mo consignauerat ad culpam, per hunc modo
vel inuita peteretur ad poenam. Itaque saepe nu-
mero improbus ille ad eam veniens, aut futu-
ra nuntiabat, aut quocumque poterat modo a pi-
etatis studiis illam impediabat. Vnde vene-
randus pater Dionysius (quia tunc morabatur
extra monasterium suum cum Cardinale, &
libertate qua poteratur, seruire Christo cu-
piebat) cum fratres suos in Ruremunda adie-
ret, saepius quoque hanc poenitentem mulierem
confortaturus visitabat. Verum diabolus in-
uisum habens Dionysium, quae praeda hac tam
nobis

nobili & alijs copulribus per eundem fuisse spo-
liatus, cum illum sentiret aduenire, praecur-
rens ad Gebulam: Ecce, inquit, der Taterbeck
vnde wynsuper kompt vch besueken. Quod
latinis sonat: Impeditae linguae homo, vni-
ingurgitator, inuisurus te accedit. Haec autem
dicebat, nitens Dionysium aut probris ad in-
dignationem commouere, aut ab eius vene-
ratione mulierem auertere. Reuera enim Dio-
nysius minus expediram habuit linguam, ni-
nuscque facundam. Vtebatur etiam tunc vino ad
refocillationem corporis, ex labore studiorum
exercitiorumque aliorum attenuati. Quamob-
rem calumniam illi diabolus struere nitebatur.
Verum nihilominus pars diaboli calumnias
vir dei formidabat, quae etiam magnopere il-
la agere contendebat, quae diabolus calumni-
aretur. De hac muliere Dionysius in 2. quem
super Sententias scripsit libro refert, se vidisse
cicatricem, vnde sanguinem ipsa homagium
diabolo scriptura eduxerat. Postulat nunc res
ut huic factum simile aliud virtutum eius refe-
ram, licet non eodem tempore gestum. Est
castrum Hornae non longe a Ruremunda trans
Mosam aedificatum, cui praefuit olim gene-
rosus dominus Godefridus de Vlodorp, Car-
thusiae Ruremundensis & amicus & benefa-
ctor. Ad hunc locum Dionysius, dum ex Bus-
coducis (vbi Carthusiae iam pridem aedificari
coepit praefuerat) reuerteretur, amicitiae gra-
B ih tia

ria quasi ex itinere diuertitur. Contigit tunc præfecti uxorem dominam Catharinā graui infirmitate tentam, & paulo post moriturā, horribilibus signis motibusq; se huc illucq; in lectulo strere, & quasi aut fugę, aut defensionis p̄sidium quærere. Erat enim timore nimio percussa, & propemodum desperatione victa.

Adductus pater Dionysius, confestim vt intrat cubile, videns multitudinem horrendoꝝ spirituum, haud aliter atq; examen apum volitantium, exituramq; animam expectantium, magna voce clamauit: Filiioli, quid video? Si ne mora omnes queso accurite. Festinate, & ad orationem genua flectite, hic locus vt atomis radij solis, dæmonibus plenus est. Hęc dicens, cum exire vellet cubile, mulier ægrora qua tum poterat virtute vestes Dionysii apprehendens, tenuit illum & clamauit: Heu pater, nolī me derelinquere, in fide tua, hodie serua me. Conuersus Dionysius stetit & fide solita in dæmones armatus, oratione qua potuit ardentissima ad deum fusa, vi deuotionis ac charitatis pugnabat. Ad cuius orationē diuina mox virtus adueniens, turmam illā immundorum spirituum omnem profligauit. Nam dæmones orationum eius violentiam, cū diutius nō possent ferre, clamauerūt: Heu heu, quā violentiā ab hoc cucullato patimur sene? Et excutientes baculū, cui innitebatur, de eius manibus, proculjecerunt. Cunctis q̄

q̄

q̄ astantibus reliquis (licet nullus horum dæmones videret) & rei finem expectantibus, spiritus infernales oranti Dionysio alapa deriderunt violentam, vehementerq; grauem, cuius vestigijs cicatriceq; dū vixit, visus est nunq̄ carere. Ad hanc tamen iniuriam nihil motus Dionysius, persistit in oratione. Spiritus vero maligni patientia eius territi, fugerunt, mulierem deserētes. Rediit igitur interea ad spem veniē, & animosior facta est, quæ paulo ante desperatione fuerat percussa, nec aliud expectaret, q̄ infernali se puteo iam iamq; absorbendam. Fuerat enim in vita non minus vitijs q̄ opibus abūdans. Amori quoq; seculi, cæterisq; vanitatibus, atq; adeo illecebris carnis seruierat nimium occupata. Verū tamen Dionysii orationibus (vt dixi) munita, fugatis tenebrarum ministris, tranquillitati mentis & fidutię bonæ in deum restituta est. Tunc astantibus dicit Dionysius: Laudate charissimi & magnificate misericordię viscera dei nostri, qui huic animæ donauit salutē. Mulier etiam magna contritione & spe veniē roborata, mox spiritum in manus reddidit creatoris. Post hęc descendens de castro Dionysius, aduenientem habuit obuium dominum Godefridum, defunctę maritum. Cui blandiendo apprehensam illius trahens auriculam, quid agis (inquit) hic o fili? non tibi hic expedit diutius morari.

B. iij. Fed

Recepte
alapam
a diabo
lo Dio.

Festina hinc egredi, ne te peiora inuoluant.
Paruit ille iussionibus viri dei, atq; locum con-
tinuo mutauit. Hæc pauca dicta sint ex mul-
tis, ne videatur mirum quam obrem virū dei
Dionysium diabolus odio sit persequutus.
Continua enim inter illos versabatur pugna,
quorum studia fuere contraria. Diabolus em̄
moliebatur animas dispergere, Dionysius
studebat colligere: ille vulnerabat, hic sanas-
bat: ille iugulabat, hic per gratiam dei resusci-
rabat. Atq; ideo sanctis non solum orationis
bus & exhortationibus Dionysii inuidebat
diabolus, sed etiam quibuslibet eius pijs stu-
dijs erat molestus. Maxime autē ferebat mo-
leste, q̄ Dionysius scribendis libris pijs, elucis-
candisq; scripturis sanctis assidue assisteret.
Inde enim sibi formidabat maiorem spolijs
suorum iacturam. Quapropter aliquando ter-
rore, aliquādo strepitu, interdum ad ostiū cel-
lule, vbi scribebat, pulsu dei hominem ad in-
patientiam, aut tædium, aut vt scribendo ces-
saret, nitebatur perducere. At Dionysius si-
de munitus, semper illum contempsit. Semel
etiam cum dæmonis tanta virgeret improbi-
tas, atq; q̄ placuit Dionysio foret molestior,
surrexit vir dei, & occurrens contra diabolu
se ingessit, dicens: Quid tibi visum est impro-
be, famulum dei tanta præsumptione inqui-
erare, atq; tuis incurisbus molestijsq; impedi-
re: Tu animosum te simulas, cum sis bulla &
nihil:

nihil: nobis vero deus dedit animum & virtu-
rem p̄stigia tua contemnere. Abi igitur hinc
ocius, & post hac non rediturus, ab hac demē-
tia tua desiste. Paruit ille licet inuitus, nec de-
inceps scribenti Dionysio molestus fuit. Di-
cet fortasse quis, illum profuisse mundo, dum
extra monasterium, vel autoritate Cardina-
lis euocatus, vel ordinis sui superioribus ad
officia institutus, inter homines moraretur:
non item profuisse, dum in cella federet sol⁹.
Haud quæq; . Quin potius multo vberiore
frugem credendus est intulisse in solitudine,
q̄ si vixisset in mundi perturbatione: quādo-
quidem tunc & animus eius ad deum purior,
& oratio potuit esse feruentior. Nam discursus,
labores, curas, sermones, ad extremū co-
natus omnes, quis nesciat arduis in rebus sæ-
penumero fuisse inanes, donec viri cuiuspiā
deo dilecti, vel procul constituti, feruida, ad
deum fusa oratio ijs robur daret & fructum?
Moyſis, Helix, Helizæi, Danielis (vt priscos a-
liquot ex multis recenseam) orationes, dicat
quæſo quid valuerint mundo, hoc est, quid
afflictis contulerint liberandis, quid no-
cuerint aduersarijs superandis, quæ benefi-
cia impetrauerint mundo, quæ mala sustule-
rint e medio, quoties deniq; mundum recon-
ciliauerint deo: & inueniet externis curis at-
que laboribus, quibus distrahitur animus, lō-
go interuallo anteire orationem, hanc vide-

Vtilius
ī solitu-
die q̄ in
mūdi vi-
uit prur-
batio.

B v licet,

licet, quo feruore deuotionis ac puritate cor
dis funditur. Quæ profecto solitudine, silen-
tio, corporis castitate, continentia sensuum,
cæterisque cum eremi, tum monasticis insti-
tutis iuuatur atq; fulcitur maxime. Hæc nan-
q; oratio, utpote pura ac feruens, mox cœlos
penetrat, vim facit omnipotentis; cogit inuinc-
ibilem, & immutabilem deum a iustitia ad
misericordiam flectit. Atq; ideo qui orationi
atq; contemplationi hoc modo vacant, haud
quaquam in ecclesia dei otiosi sunt, sed vtilissimi,
quolibet abditissimis etiam fuerint locis inclu-
si. Hæc dicta sint in eos, qui cum dies suos nu-
gis & fabulis conterant, aut gloriose huma-
næ studeant, audent quasi occupati contem-
platiuorum sanctum otium calumniari. Quod
si etiam absq; malo animo pleriq; cum Mar-
tha in his conquerantur, non oportet tamen
illorum dictis offendi, quæ Christus olim re-
fellens, Mariæ partem, hoc est, contemplatio-
nis & orationis officium prætulit actioni. Eâ
ob rem adamauit Dionysius noster Rachel
suam, prætulitq; Lyæ: nec sine stomacho fer-
re poterat, si quis vel de monachorum statu,
vel de religione minus digne videretur senti-
re. Quare cuidam monasticæ religionis æmu-
lo doctore scribens, temeritatis illum arguit
his verbis: Dole de tam vsurpatis & pericu-
losis iudicijs, nec pronus sis iudicare religio-
sôs. O quæ parum agnoscis, quid operetur altis-
simus

Luc. 10

Gen 29

simus in veris solitarijs, quos abscondit in ab-
scondito vultus sui a conturbatione hominû, Psal. 30
& protegit eos a contradictione linguarum, Osee 2
quos ducit in solitudinem vt loquatur ad cor
eorum, quorum mentes præstringit, & du-
cit eas ad gaudia silentij, ad diem qui est sine tu-
multu, in regionem lucis immensæ, ad mysticas
visiones, & theoriæ contemplationis sinceri-
tatem, ad raptum & extasim, itavt in sanctæ deita-
tis, in æternæ veritatis abyssum demersi, su-
per naturales fidei veritates & ordinem cre-
dendorum ecclesiasticæq; hierarchiæ, ineffabi-
liter clarius ac certius intuantur, quæ ex scola-
stica notitia conspici queat. Nonne fortius est
lumen gratiæ, quæ naturalis illuminatio, quæ exer-
citatio: supernaturalis inspiratio, quæ scolastica
disputatio. Certe sicut in statutis nostri Car-
thusien. ordinis fertur, baptismata lachryma-
rum, feruores orationum, excessus contem-
plationum, nulla re magis quæ solitudine iuuan-
tur. Non ergo despicias talium scripta ac mo-
nita. Hæc Dionysius: Quibus reuera non alia
testatus est, atq; in se fuerat expertus. Nam
in cella quolibet inclusum, compertum est, ora-
tionibus suis homines & loca varia libri igno-
ta protexisse. E quibus ne omnia simul tacere
videar, vnum aut alterum commemorasse
sufficiet. Quæ Illustrissimus dux quidam (cuius nomē
modestè cæcè taceamus) missō nūtio rogabat Di-
ony. vt oipotenti supplicās, revelationē sibi si-
eri peteret, atq;

Efficaci
o oratio
nis Dio.
declara
f miracu-
lo.

atq; instructionem de fine euentusq; belli, qd
parabat in Adolphum filium sibi rebellem,
simulq; oraret, vt bello gloriam daret patris
victoria. Iam enim palam factum erat, Dio-
nyfium sua apud deum oratione posse mul-
ta, reuelationibusq; dignum haberi. Itaq; ac-
cepto nuntio, vir sanctus id nullo modo se fa-
cturum respondit, nec posse huic impietati, cu-
ius inter patrem & filium autor esset diabo-
lus, orationibus suis opitulari. Orauit tamen
per integram ferme noctem, satagens cala-
mitatem hanc infelicissimam imminentem,
futurasq; inde belli ærumnas, aui marum ex-
cidia, ac postremo miserabilem patrie destru-
ctionem deprecari. Neq; enim id quod dux
rogauerat, sed quod deo dignū, quod patriæ
foret salutare, æstimabat orandum. Orabat
igitur, ne tam horrenda mala, cædes corpo-
rum, perditiones animarum, ne deniq; tot ini-
urias atq; contemptus nomini suo glorioso
feri sineret deus. Orabat ne paternas manus
filij sanguine, aut ediuerso, filius sanguine
se paterno pollueret. Sic oranti ac flenti,
ecce apparuit angelus domini, qui Dionysio
si non respiciant ad pacē principes, & nisi cū
clero vulgus, ad poenitentiae lamenta emen-
dationemq; vitæ se conuertant, mala futura
per ordinem cuncta prænuntiavit. Docuit præ-
terea quemadmodum præmoneret principes
furore obstinatos, ac quomodo patria ipsa pla-
catum

catū sibi redderet deū, iam olim sceleribus of-
fensum. Ad hæc nihil moratus Dionysius, du-
cibus epistolam scripsit, haud satis accuratā,
tamen virtute & spiritu plenam. Eandemq;
tam patri q̄ filio misit. Interim vero, vt illo-
rum corda emollirentur, dominum rogauit.
Paruerunt principes monacho æque humili
ac sancto, nec aliter ab eo quecunq; monuit,
q̄ dei iussa, vt erant, acceperunt. Multum cer-
te ac sæpius ante fuerat tentatum per princi-
pes, per proceres, per doctores, idq; modis o-
mnibus quibus tractari poterat humanis, vt
nō solum manifesta persecutione, verum etiā
simultate quacunq; extincta, pater & filius na-
turæ fœdera non violarent. Sed excludebat
omne consilium, nihilq; erat reliqui, q̄ vt san-
guine manus impias commacularet. At Dio-
nyfius, imo virtus diuina in seruo suo Dio-
nyfio, (quem glorificare coram gente illa insti-
tuerat) orando hortandoq; bello finem prin-
cipibus amicitiam, patriæ reddidit pacem.
Mirabantur omnes, ac nouis gaudijs tripus-
diabant, q̄ inuisus bellorum apparatus felic;
omine in pacē subito mutaretur. Nec tamen
diu patriæ incolas latere potuit pacis autor.
Quapropter ad viri dei venerationem cōuersi,
si, vocabant eum (rustico more) virum qui an-
gelo loquitur. Nō ab re putari debet, quoniam
principum fecimus mentionem, si de episcopo
etiam Leodiensi narrationem historię profes-
qua

Dicitur e
Diony.
vir cui
angl^o lo-
quitur.

quamur. Fuit hic de quo loqui volumus: neque enim nominatim traduci par est, vir seculo quidem idoneus, atqui minus quam par fuit, Episcopo praestaret episcopum. hic spectacula, torneamenta, caeterosque id genus ludos militares, in pia illa instituit Ruremunda. Sic enim placet, nec immerito quidem, pium illud vocari oppidum, quod hactenus predicatum fuit deuotioni aptiusque vanitati: nec hodie puto tam refertum armis, quam doctis piisque viris. Itaque ad hanc Ruremundam vndecumque aduocatos nobiles dum ipse in oppido expectaret, necessariaeque theatricis his ludis vir ecclesiasticus prouideret, accidit illum interea Carthusiam petere: ubi postquam cum Dionysio (quem sanctitatis opinio magnum atque multis effecerat celebrem) varia contulisset, non erubuit se iactitare, quam magnis impensis militaribus his ludis inhieret, quam daret operam nobilibus excipiendis & magnifice tractandis. Ingemiscens Dionysius: O, inquit reuerendissime pater, haec tibi admittenda sunt principibus, ecclesiasticis tamen viris, & praecipue episcopis, penitus non conueniunt. Indignissimum est ac prorsus iniquum, ut Christus: patrimonium in scencos hos usus profundas. Parce igitur quae so reuerentiae tuae pater, episcopus es, parce honestati clericali, parce vel tandem petuntis, & ab hac demencia prorsus desiste. Ad haec episcopus: Scio me ipsum episcopum, cui haec prophana spectacula iam olim sacra canones

nonnes interdiciunt. At fatearis etiam necesse est, me principem esse, ducem, marchionem atque comitem, quos arma venustant, quibusque iudicia imperiaque temporalia substant. Horum nunc munus mihi obeundum est. Cui Dionysius: Non propterea pater, episcopus es factus, ut principem geras aut ducem, sed ut praestantior digniorque habearis episcopus, utque malis terribilior. atque ad tuendas Christi ecclesiarum leges sit potentior, datus est tibi ab ecclesia principis & gladius & honor. Itaque officium tuum est, regis dominici curam agere, diaboli laqueis irritas animas eruere, oues tibi commissas dei verbo pascere, aberrantes reducere, respicere nolentes ad ouile compellere, praestare te Christi vicarium, non mercenarium, sed pastorem animarum agere, ouibus exempla sanctae conuersationis quali iter ad sequendum ostendere, odore bonae famae praerire: atque ut simul multa dicam, regem tibi commissum caelis introducere, non ad inferna detrudere. Inter haec autem, cum omnia bene feceris, scire quod seruum te vocat inutilem dominus. Vnde tibi cauendum est, nobisque vehementer mirandum, cum tua sollicitudo pro singulis animabus tibi commissis rationem sit redditura, ne vel una pereat, quomodo pignauit tuam quasi securus possis vel audeas de ludis & spectaculis militaribus cogitare. Quid quomodo pro deo respondebis pro creditis tibi animabus, quos interea hoc diabolico negotio tuipe scandalizas? Qua fronte audebis apparere coram iudice Christo, cui

cui tu animas precioso eius sanguine redem-
pras abducis, ac morti æternæ tradis, quorum
lacte & lana abstractis, tu in delicijs viuis: Vt
quid ecclesiæ bona, quæ pauperibus & diuis
no cultui erogare deberes, in scenica hæc spe-
ctacula, ad Christi opprobrium, ad ecclesiæ di-
spendium, in perditionem animarū luxu tuo
profundis: Quod si omnino quæ digna sunt
pontifice, renuis agere, parce saltem ouibus,
quãdoquidē minoribus impensis ac laborib⁹
potes tu solus æterna tibi tormenta compa-
rare. Hæc episcopus audiens, tam indignabū-
dus q̄ sui propositi pertinax abiit. Cui iam re-
cedenti dixit Dionysius: Rogauimus te pat̄,
vt quoniam in religionis positus es exēplū,
spectacula hæc vana non perficias in perniciē
animarum, sed audire cōtemnis. Rogabo po-
tentio rem dominū, cui te quoq; (velis, no-
lis) subiectum esse oportet, hic me exaudiet,
hic insipientiæ tuæ conatus, etiam te inuito,
impediet. Surrexit episcopus, & nescio quid
secum stomachans, relicto Dionysio, quod cœ-
perat, moliebatur perficere. Ac contra Dio-
nysius illum præuenire festinat. Siquidem ad
dominū conuersus, eisdem vitur & cōtra
diabolum & contra episcopum armis, fletu vi-
delicet & oratione. Quid moror? Nihil pro-
fuit episcopo inflata potestas, nihil contulit
ei quod perficeret industria accelerans. Plus
valuit oratione Dionysius. Nam episcopus
moz

moz vt abierat, ante q̄ peruenisset ad domum
sua, podagræ doloribus vehementissimis
corripitur, adeoq; pedibus dolet, vt ludos &
torneamenta, quæ ante noluerat intermitte-
re rogatus, nunc cogatur non exequi etiã inui-
tus. Itaq; post inutilem magnæ pecuniæ ero-
gationem, post infamiæ notam quicquid epi-
scopus præparauerat, quicqd instituerat, q̄
qd cœpat intermissum desit. Ipse vero postea
doloribus aliquantulū remissis, q̄ primū gress-
um potuit recuperare pedum, plenus irarū
Carthusiam accessit, & cōquerens cœpta sua
Dionisii orationibus destituta, se vero dolo-
ribus propterea ac ignominia etiam affectū,
verbis eundem asperioribus multauit. Ve-
rum æquanimit̄ hæc Dionysius tolerat,
gaudens etiam q̄ pro Christi gloria dignus
esset vel ab episcopis contumelias pati. Vti
nam tales hodie multi essent Dionysii, quo-
modo huic episcopo nimum similes inueniū-
tur pontifices. Atqui si miserabilē postea hu-
ius defuncti sortem attenderent, nec aulicorū
adulationibus acquiescerent, ad meliora for-
tasse q̄ primum se mutarent. Nam hunc, quē
præfati sumus episcopum, postea defunctū,
(cum pro eodē Dionysius post matutinas
in festo diuæ Catharinę virginis in cella vigi-
lans oraret) vidit a duobus terribis gigan-
teæ formæ spiritibus ante se adductum, ac ar-
dētibus flammis circumseptum. Qui dixerūt:

Præualu-
it Dion-
oratiōe
cōtra e-
piscopū

Ecce pro quo oras, dominus tuus. Intuens illū
 Dionysius diligenter, vidit circa ventrem &
 genitalia eius inmensum agmen serpentum
 & bufonum, qui miserum corrodebant: Fue-
 rat enim in vita præter vanitates alias epi-
 scopo indignas in concupiscentijs, foeminarū
 virginumq; stuprator. Expauit vehementer
 vir sanctus, admirans æquitatem iudiciorum
 dei: & cogitans illud q̄ potentes potenter tor-
 menta patientur, aduertit illum esse damna-
 tum. Quippe cum nihil pro se miser flagita-
 ret suffragij, nihil orationis, & subito a niger-
 rimis illis Aethiopibus, ab oculis intuitis ab-
 ripere tur. Cæterum quia hic defuncti vnus
 memoriam fecimus, de spiritibus defuncto-
 rum hoc generaliter tenendum est, sæpissime
 Dionysio hos apparuisse, quæsisse etiam pœ-
 narum remedia, quæ ille vir spiritu & corpo-
 re infatigabilis liberalissime impertiebatur.
 Interrogatus aliquando a fratre Carolo, mi-
 nistro suo admodum dilecto, deoq; deuoto,
 an sæpenumero animæ illi apparuissent de-
 functorum, respondit: Etiam. Imo centies atq;
 centies. Nouitius quidam, non lōge ab op-
 pido sancti Trudonis natus, Ruremundæ in
 Carthusia ex infirmitate ad extrema vitæ de-
 uenit, huic Dionysius promisit post mortem
 duo legere psalteria, quæ ille nouiti⁹, nisi mor-
 te fuisset præoccupatus, soluere debuisset, ves-
 rum quia multorum tunc dubia conscientia
 ruc̄ scrupuli varijs ex locis ad Diony. cōtinue

Officij
 Dyonysio
 e
 piscopi
 crudelis
 sine pœ-
 nã.

Sapientia

deferebāt, quibus sine mora fuerat rñdēdū, cō-
 tigit Diony. sic occupatū qd̄ pmiserat, differ-
 re. Defunct⁹ igit nouitius q̄ suffragijs egebat
 ad Diony. redijt: & tarditatis illū arguēs, dure
 obiurgauit. Ad hæc Diony. cū se iustā putabat
 excusationē p̄ductur⁹, adeo ad nouiti⁹ hui⁹ in
 crepationē subito obriguit, vt ne hircere qdē
 auderet. Itaq; intelligēs defunctis suffragij debi-
 ta nulla esse ratiōe differēda, & ipse deinceps
 tarditatē cauīt, & alios vt cauerēt, præmo-
 nuit. ¶ Fratrem quēdā suæ adomus, ex eorū
 professione quos Donatos vocant, iam pridē
 sepultum, post maritinas in cella sua reperit
 flāmis ardentem. Quē interrogās quis esset
 quidve peteret, audiuit: Frater sum tuus, nup-
 hac luce defunctus. Conqueror autem q̄ ne-
 gligentius iusto mecum agunt fratres. Nam
 non solum charitate exuberāte nō mihi sub-
 ueniunt, verum etiam vincente socordia, quæ
 mihi debent ex obedientia ordinis, differendo
 nō exoluūt. Quæ p̄pter nisi correxerit se, & su-
 as & meas postea dabunt pœnas. Corrupti
 frēs hortatu Dionysii, defuncto suffragia ori⁹
 ipenderunt. ¶ Venerabili cuidā sacerdoti, in
 ordie Carthusiano tūc nouitio, spūs qdā i illi⁹
 cella molest⁹ fuit. Sigdē strepitu & pulsu fra-
 trē a gete somnoq; deturbabat. Perlata est q̄
 rimoniam ad vitæ dei Diony. Qui rñdēs: Dicite
 ingt. nouitio, vt in hūc modū spūi ipet: Vade
 ad fratrem Dionysium. Res mira. Paruit Dio-
 nyso nouitius, paruit & nouitio spiritus,

Defun-
 ctorū de-
 bita nul-
 laratiōe
 differen-
 da mira-
 culo oñ-
 diē Dio.

Alio mi-
 raculo i-
 dea seri-
 tur

Nam relicto nouitio, ad Dionysium venit. Dionysius vero hunc adesse sentiens, tanto mox orationum feruore flagellauit, ut iam illi neque nouitium neque Dionysium liberet repetere, sed abiens poenitentibus omnibus solutis, ad deum auolare. ¶ Captus autem aliquando Dionysius

Familia magno desiderio sciendi, quomodo haberet anima patris sui iam pridem defuncti. Fiduria igitur, quam familiaritas quaedam ad deum illi pepererat, roboratus, post vespere die quadam in cellae suae oratorio procedens, ubi esset anima patris sui, certio rem se fieri precabatur. Cum autem diu hoc desiderio in oratione perstitisset, vocem audiuit sibi respondentem: Quid pro anima patris tui a deo te sciendi curiositas torquet? Nunquid non pius est pro defunctis orare? Ora igitur pro tuo patre, qui si in poenitentibus est, & in gratia dei e vita excessit, tua oratione refrigerabitur: si minus, in finem tuum oratio redibit. Hoc responso coelitus accepto, Dionysius perseverat, nihilominus pro patre orans: non tamen, quomodo ante, de secretis dei inuestigando, sed ut requies datur defuncto. Interea quadam nocte dum leui teneretur somno, vidit patrem suum inter duos spiritus Aethiopes nigriores teneri medium, atque valida ad se voce clamantem: Fili amantissime, miserere mei, & tuis orationibus patri succurre. Quod verbum statim ut emisit, abstractus a demonibus, & eam

no ar

no ardenti iniectus, caeditur, virgisque ferreis flagellatur. Haec licet in somnis viderit Dionysius cuiusmodi visionibus nunquam arbitratus esset tutum credere, nihil tamen de veritate huius dubitauit. Quae propter non desistit orare pro patre, donec ille desit esse miser. ¶ Alia multa ex spiritibus sibi apparentibus didicit, multa quoque illis laborum & orationum suarum impedit, quae nemini manifestauit. Haec enim sola non tacuit, quae ne taceret, necessitas imperauit. Saepe namque necessarium fuit, nonnullis indicari cur torquerentur certe animae defunctorum, ut viuentes & negligentiae suae poeniteret, & mortuis opem ferrent. ¶ Quapropter operae precium est de magistro Iohanne Louauien. adhuc referre, cuius post mortem, aerumnam, nec Dionysio licuit omnibus tacere. Hic a uo suo venerandus, vir bonae ac in regre vitae fuit, sobrietatis quoque honestatis ac pudicitiae custos, religionis amator, iustitiae tenax, & (quod rarissimum est) qui magno opere publicum bonum suo anteferebat. Huius hic laudem recenseo propterea, ut discatur, quibus meritis pericula euaserit aeternae damnationis. Si quidem nisi tam praedare fuissent in eo inuentae virtutes, nisi tanta etiam contritione poenitens seculo emigrasset, ob ecclesiastica beneficia, quae multa possederat, supplicium aeternum (quod multi hodie non formidant) non euasisset. Et licet ex beneficiis

C in con

Plurali
tas bñfi
cioꝝ pe
riculosa

congestas pecunias in pijsimos expendisset
vſus (nam canonicorꝝ regularium in Ruremũ
da edificauit dorauitqꝫ cœnobium, & Colonie
atqꝫ Dauentriæ S. Hieronymi collegia) poſt
mortem ramen diu & grauibus eſt cruciatus
purgatoriꝝ poenis. Nam & quia ſepultus in
choro Carthuſienſium fuerat Ruremundæ
anniuersariũ pro animæ eius ſalute annis ſin-
gulis ab eiufdem loci patribus celebratur.
Itaqꝫ dum primum eius ageretur anniuersari-
um, & iam in officio defunctorum ad canticũ
Zachariæ ventum eſſet, Dionyſius vigilantibus
oculis contuitus eſt ſuper defuncti ſepul-
chro, in modum feretri flammas igneas ſe cõ-
globaſſe, quæ fumi obſcuritate atqꝫ ſulphu-
ris fœtore viſu erant horribiles. Exterritus
Dionyſius, fratrem qui iuxta ſtabat, pulſans,
ſpirituales viſionis eſſe miſterium intellexit.
atqꝫ vehementer doluit, recolens defuncti ſo-
brietatem atqꝫ integritatem. Flebat autem
potiſſimum, qd neſciret, purgatoriꝝ ne, an ge-
hennæ incendia hæc viſio ſignificaret. Redit
ſequenti anno anniuersarius dies, quo perin-
de ac ſuperiori ſpeciẽ ignis iuxta defuncti mo-
numentum Dionyſius conſpexit, flamma ta-
men erat magis tenuis, clarior ac mitiot. Por-
ro tercio anno raptus Dionyſiꝝ in extaſim mē-
tis, iam non vt ante corporeis oculis, nec ima-
ginaria, ſed intellectu ali (vt ita dixerim) viſio-
ne didicit futuram defuncti ſalutem, videns ſi
mul

mul iudicia dei mirabilia, occulta, inueſtiga-
biliqꝫ, & certa alia quæ ſas non erat, nec poſ-
ſibile effari. Quapropter ſcripſit cuidam, qui
defuncti teſtamentũ curare debuerat & exe-
qui, admonens vt omni mora poſthabita, de
functo ſuffragia acceleraret. ¶ Optarem hic
plura ad legentium ædificationem narrare,
ex his quæ per virum dei quorundam defunctorum
animas geſta ſunt, niſi quorundam formida-
rem de prolixitate faſtidium, tamen præter
hæc ſuperſint alia pene innumera, non circa
defunctos tantum, ſed etiam circa viuentes,
quæ illi reuelauit deus, ab eodem ſemper ab-
ſconſa, nobisqꝫ penitus occulta. Hæc enim ſo-
la de futuris aut etiam præſentibus mani-
feſtauit, quæ vt manifefteret, a domino prece-
ptum habuit. In quorum tamen reuelatione
mirum qd humilis fuit, nihil ſibi tribuens præ-
ter viſitatem: quã ipſe quoqꝫ expauit, admi-
rans prouidentia diuinæ conſilium, cui place-
ret vti ſe indigno, & vniuerſorum quæ ad ſe-
culi prudentiam attinent imperito, ranqꝫ mi-
niſtro, ad eccleſiæ ædificationem. ¶ Fuit in
extaſim mentis ſæpenuero raptus ad mul-
tas horas, quod dum potuit, celauit. Verum
vbi fratrum ſuorum aliquo aut conuentu præ-
ſente fuiſſet abſtractus ad deum, & ad huma-
na manſiſſet velut mortuus ac immobilis, do-
luit verecundus qd latere non potuit. Quid
tamen interea ſenſerit, quid didicerit, quid ſibi
Nobilis
ſimo
mō mul-
tis horis
ſæpiꝝ in
raptu
extati
co fuit
Diony.

C iij reuelatum

reuelatum fuerit, nemini aut paucissimis, id
q̄ rarissime patefecit. Quæcunq; etiam illi fu
ere reuelata, quæcunq; ostensa, non per simi
litudines, non per rerum imagines aut sensi
biles visiones tradita sunt, sed nobiliori modo
docebatur, sublimiori q̄ ac puriori. Siquidem
intellectus eius vt diuino lumine fuit illustra
tus, atq; a seipso mens eius deficiens, per amo
rem in deum absorpta, deo q̄ vnita, didicit q̄
cunq; diuinitatis radius illum docere voluit.
Iuuabatur autem, imo (vt verius dicam) etiã
renitens rapiebatur, occasione externa qua
cunq; præstita, vnde ad cœlestium contempla
tionem, aut ad inuestigabilis sapiētiae dei ad
mirationem, aut bonitatis eius amorē mens
eius erigeretur. Quapropter quandoq; dum
ecclesiæ inciperentur cātica, vt sunt: Veni san
ctæ spiritus, aut suscepimus deus misericordi
am tuam, atq; id genus alia: aliquando dum
in turbis esset & frequentia hominum, inter
dum in castris coram nobilibus (qui eius con
suetudine, eruditione atq; cōsilijs vehemēter
oblectabantur) inter loquendum de deo, rapi
ebatur ipse in regionem lucis inaccessibilis &
immēse, alijs qui aderant, interim circa sua
humana hic relictis. Nonnunq; etiam vt aliter
Heliseus, dum organorum suauem audiret
melodiam, facto in se spiritu dei, ad cœlestis
illius melodix concentum aspirabat. Hinc sus
bito mens eius, quia intra se contineri nō po
tuit

tuit, ad eorum gustum quibus æstuanter in
hiabat, secessit: atq; adeo secessit, vt per aliq̄
horas fixa non reuerteretur. ¶ Buscumducis
oppidum est Brabantix nobilissimum, in quo
diui Iohannis templum habetur miro modo
ornatum. Siquidem nihil in illo cernitur ne
glectum, nihil desideratur, quod ad pietatem,
ad deuotionem, ad collectionem deniq; spiri
tus iuuandam pertinet. In hoc Dionysius for
te ingressus, quia ad diuina tunc in organis ca
nebatur, melodia suauis auribus hauista, con
festim corde cœpit liquefieri, vultu & mente
murari, a seipso deficere, & collectis animæ vi
ribus, totus in deum ire. Aderat ei tunc abbas
sancti Martini in Colonia: qui intelligens qd
futurum erat, traxit illum in sacellum quod
iuxta aderat, vbi rigidus immobilisq; horis
ferme tribus mansit. Hoc autem eo tempore
illi accidit, q̄ cœpta est Carthusia extra ipsum
oppidum ad honorem sanctæ Sophiæ ædifica
ri, cui idem licet iam senex propter sanctitatē
suam initiator institutus fuerat & rector: Re
uelatum fuerat Dionysio iam pridē, eo in lo
co quo nunc ædificatum cernitur, construēdū
esse Carthusiense cœnobium, vbi deo sanctis
ficarentur animæ & laudes canerentur diu
inæ. Porro occasionem huic cœnobio extruē
do magnam dedit Dionysii sanctitas vulga
ta, Eam obrem monasterij fundator ab ordi
nis primatē hunc nouæ plantationi rectorem
C v impetra

impetrauit. Quamdiu autem morabatur ibi
Dionysius. Philippus magn⁹ ille Burgundio-
num Dux, in magna eum habuit veneratio-
ne, euocatumq; ad se, in magnis, arduis ac se-
cretis negotijs consuluit. Cæresq; quia noua
hæc ædificatio distrahebat eius animum, &
ipse iam senex viribus erat exhaustus, obten-
to superior⁹ assensu, ad suæ tandem professio-
nis domum redijt, ¶ Tradit ad huius reditū
tunc chorū templi Carthusiæ Ruremūden-
sis aliquot noctibus sub matutinis lucæ cœlitus
superfusa illustratū. Ignorantes monachi qd
portenti hoc foret, attoniti stabant. quidā es-
gressi, cœlitū contemplabantur verū nihil inue-
ri videntes, tandem Dionysij reditū (qui ordi-
nis lux erat & mundi) intellexerūt. Videbat
ipse quoq; Dionysius sæpe post matuti-
nas ad cellas regredientes monachos comita-
ri spiritus candidos, atq; cum eis dē eorum in-
trare cellas, quos angelos illor⁹ non dubita-
bat esse custodes. ¶ Eo tempore Mahumet-
es Turcæ rex, Constantinopolim omēs q;
orientalis imperij fines abstulit christianis.
Vnde fides christiana fere oīno cōcidit in Gre-
cia magnusq; inde timor ac dolor oībus chri-
stianis ortus est, præcipue viro dei Dionysio,
qui diu noctuq; iam senex flebat, quod cultui
dei abrogatio, cōtumelia fieret nomini chris-
tiano. Videbat præterea in occidente a pri-
stis illis moribus sanctis, ecclesiā degenerare
atq;

atq; a fidei calore charitateq; repescere. Eam
ob rem formidabat iram dei eis etiā locis ve-
nire, quæ Romano parent imperio. Contra
hæc mala. vnū erat illi remediū oratio. Hac
enim dei iram ab ecclesia auerrere, hac inter
ecclesiæ calamitates studebat semetipsum cō-
solari. Reuelauerat aut illi deus peccata chris-
tianorum, præcipue prælator⁹ & cleri, iustitia sua
inpune diutius tolerari non posse, sed e duob;
bus alterum fore necesse: aut semetipsos præ-
lati & clerus corrigerent, aut per eos indigne
finerentur castigari, quibus nulla esset in deo
reuerentia, nulla auctoritas. Ad hæc cum Dio-
nysius illor⁹ nomine emendationē deo pro-
mitteret, atq; vehementius hoc pacto pro mi-
sericordia flagitaret, audiuit: iuxta mensurā
emendationis vestræ, temperabitur iustitiæ
meæ censura. Addensq; dominus: De emen-
datione, inquit, quod promittis nomine præ-
latorum, hoc teneas: Etiam si iurauerint in no-
mine meo, viuit dominus, hoc ipso falso iura-
bunt. In hac autem reuelatione, de futuris ma-
lis atq; ecclesiæ calamitatibus, nonnulla didicit
secreta, que fas non erat manifestari. Mitte-
bat tamē epistolas ad pontifices, ad principes
ad ecclesiæ prælatos: & quoscunq; poterat, ad
vitam correctiorem inuitabat. Nec sua tan-
tum oratione contentus, hortabatur omnes
quibus potuit modis, ad emendationem
vitæ & vt a se dei iram deprecarentur,
Fuere

Fuere tunc licet pauci, ex primatibus qui huius monitis credentes, ad meliorem sevitam receperunt. Reliqui, quibus usque ad summum pontificem reuelationes Dionysiique consilia nunciata fuerint, surdis auribus & corde duro audierunt. Nec mirum, cum hodie quoque (licet anno superiori Romae, & in Germania aliisque iam annis clerus ferat non modo calamitatem, sed pene etiam excidium expectet) pauciora rigantur. Quotus est enim hodie in monasteriis aut canonicorum collegiis, qui ex persecutione cleri, caeterisque malis quibus atteritur mundus, factus sit melior? Crebre scilicet mala, premit nos profana potestas, persequitur violentia, & nihilominus vitia nostra perseverant. Verum haec maioribus relinquimus praedicanda, nobis ad Dionysium nostrum est redeundum. ¶ Hic inter eiusmodi studia, incōmoda incidit senectutis, quae deinceps crebris infirmitatum augebatur molestiis. Nam assiduis ex paralyti, calculo atque vesica, doloribus torquebatur. Accedebant praeterea hucera, quae utrunque crus corroserant. Verum inter haec non est tacenda patientia Dionysii, qui licet grauius, nec raro (vt fit) laederetur, dum ligamina a ministro aut soluerentur, aut stringerentur, haudquaquam tamen tunc vocem emisit, aut gemitum: sed velut insensibilis ad dolores, nihilominus orando scribendoque perseverabat, Agebat tunc quadragesimum septimum

Crebre
scunt i-
dies ma-
la.

ptimum annum, ab eo quo Carthusiano initiatus fuerat instituto, nec hactenus scribere desierat, licet corpore esset imbecilli, ac pene effoeto. Quippe quod vigiliis, abstinentiis, infirmitatibus atque exercitiis spiritus continuis fuerat consumptum: crescentibus quotidie molestiis, ipse manum domini patienter ferebat. Ad haec etiam exultans domino gratias agebat, qui quod suis omnibus largitur amicis, non negasset illi, argui & castigari, bona agere & mala pati. Itaque anno vltimo vitae suae, parauit se, vt media nocte venienti exiturus occurreret sponso, intraretque cum illo ad nuptias. Et tunc etiam cessauit scribere. Siquidem vltimo librorum eius fuit quem de meditationibus inscripsit, in cuius fine post innumeros alios iam editos libros, post ingentes labores ad quietem aspirans, in haec verba desinit, dicens: Hoc meditationum mearum opusculum, quas non tam habeo quam merito habere, gratanter suscipite charissimi fratres, atque pro me iugiter exorate, qui de caetero ad securam taciturnitatis portum me transferre intendo, & ad securum exitum (prout dominus dederit) solito parare, praesertim quia & vires corporis multum deficiunt, & istud opusculum a novitate meae lxxvij. finio. Anno domini MCCC. LXIX. Hactenus Dionysius ab eo tempore, quia mortem sibi vicinam nouerat, quam etiam semper vt presentem fuerat meditatus, laetus

Matz

lætus perinde ac olor canendo illā expectat. Vnde sciens certissime hoc se anno moriturū inter infirmitates quibus præmebatur, tria frequētabat cantica, & nūc vnū, nūc aliud re petens, canēdo animū solabatur. Primū horū quod illi assiduū erat, fuit: Requiem æternam dona eis domine, & lux perpetua luceat eis. Ad hanc enim sortem maxime aspirabat, vt lucis æternę beatitudine fruere tur. Alterum quo ad deuotionē conpungebatur, fuit: Maria ergo vnxit pedes Iesu. & haut dubiū Marie deuotionem erga Iesum, atq; rursus dulcedinem cordis Iesu ergo dilectricem suam recolens. Ex in amore eorum mutuū, quo sese alterutrum vulnerabāt, contemplabatur. Quibus ipse quoq; sui cordis amorem ad illos, & quasi inter vtrūq; tertium se intermiscēbat. Carmē tertium quod canere solebat, fuit: Sācti qui sperant in dño, mutabunt fortitudinē, assumunt pennas vt aquilę, volabunt & nō deficient. Hoc excitabat spiritum, fiduciamq; suam pascēbat, assēcurusq; quod tot anni desiderarat, pro q̄ certauerat, sudauerat, omēsque vires suas impenderat. Itaq; crescente infirmitate, mortem non longe abesse sentiens, in festo S. Thomę Aquinatis in sacellum S. Dionysij, vbi missę sacrificium deo multo tempore offerre solitus erat, ductus est. Ibi qua solebat ardentissima deuotione audita missa, & sumpto viuifico corpore domini nostri Iesu
Chri

Christi, tanquā viatico iam præmunitus, ad iter quo visurus erat salutare dei, accinxit se. Reductus ad cubiculum, assantibus fratribus dixit: Adest charissimi fratres tempus quod prædixi, quod desideravi, quod deniq; expectaui. Si diutius vixero, aliorū me duci manus necessum est, eroq; fratribus onerosus. Post hæc omnē fastidiens cibum, egrediente ingrauescente, & viribus semper magis deficientibus, ad extrema vitę peruenit. In festo igitur diui Gregorij Dionysius virtutū ac meritum plenus circa duodecimā horam, superatis omnibus vitę huius miserijs, sanctam deo animam reddidit, Anno domini Millesimo. CCCC. LXXI. postq; in ordine Carthusiano VIII. & XL. annos Christo militauerat. Hęc de vita beati patris Dionysij, viri scientia pariter ac virtute clarissimi. Cuius scripta cur hætenus lateant vehementer admiror: quippe q̄ in ecclesiæ dei scribēdo fere plus omnibus laborauit, cuius libri vberria etiā scāt eruditione, atq; adeo lucida, vt sua ætate doctissimus ac plane admirabilis habitus sit. Quare (vt dixi) miror quod lateant, quando quidem aliorum scriptorum interim vnde cunq; nobis copia offertur, quorum tamen neq; ingenium, neq; eruditio quicq; ad hunc Dionysium accedit. Verum hoc tua incuria atq; negligentia fit ordo Carthusiensium, qui

qui innumeros habuisti viros doctissimos pie-
tissimosque quorum bona pars cum in vita, tū
post mortem claruerunt miraculis: reliqui do-
ctrina excellētes posteris sui nominis immor-
talitatem dederunt, si per te id liceret, hoc est,
si in mediū tu illorum libros dares. Itaque hos
tu intra sinus tuos recondis, perinde ac si ti-
bi duntaxat aut vni monasterio tantum, non
item posteris, atque cunctis vixerint mortali-
bus: aut quasi quod ad vniuersā pertinet ec-
clesiā decorem vtilitatemque abscondere pie-
tas sit. Verum quid pro Dionysio hic expo-
stulo, quādo institutor ituo diuo etiam Bruno
no primo Carthusiano, reliquisque tuis alumnis
ferē omnibus itidem feceris? Nam hunc Bru-
nonem, quem omnis Calabria (illic enim cur-
riam Urbani papæ, cuius fuerat olim præce-
ptor, simulque sarcinam pontificalem fugiens
diem obiit extremum) veneratur, vt atrium
etiam illud, quod pœnitentiæ & amoris la-
chrymis rigauerat, flexis circum meat popliti-
bus, osculisque lambat, hætenus tu adeo serua-
bas ignotum, vt extra illam patriam, quæ Bru-
no, quisue ordinis tui fuerit autor, pene mū-
dus ignorauerit. Vnde factum est, vt non pau-
ci historiæ veritatem ignorantēs, illum ipsum
doctorem, qui Parisiis post mortem damna-
tum se reuelauit, cuiusque iudicio territus Bru-
no cum alijs sex, hoc genus vsuendi, quod Car-
thusianum dicitur, falso putauerint fuisse Bru-
nonem.

nonem. Quem propterea tū abfuit existima-
ri sanctū, vt etiam ipse dicerent & damnatū
& à deo profusus fuisse alienum. Interea tu sa-
tis tibi putabas, quod miracula Brunonem tuū
vivere loquerentur, nec quid mūdus ignora-
ret, aduertebas. Quid quod pelarissima eius opa,
præcipue in Paulum, psalterium & nonnulla
alia, nunquam dedisses in lucem, nisi studio-
sorum tibi sagacitas imposuisset, eaque e-
manibus tuis prudenter satis eripuisset? Ad-
de nunc sanctissimos illos duos episcopos Hu-
gones, quorum alterum Gratianopolitanū,
nisi Innocentius sua sponte, alterum vero,
nisi instante Angliā, Honorius tertius tunc
pontifex, miraculorum eminentia permoti,
sanctos etiā te dissimulantem declarassent,
quem queso hodie illorum ædificarent sancti-
tatis exemplar. Taceo nunc Guigonem, Basis-
lium, cæterosque primæ Carthusiæ tuæ Prio-
res, qui hætenus te magna sanctitatis opinio-
ne gubernarunt, quorum multi etiā tam cla-
ruere miraculis, quā fullere doctrinis: quos ta-
men præter te, licet innumeros, nemo nouit.
Prætereo dominum Bernardū Priorem Por-
tagæ, quæ ad vitā redeuntēs mortui, tacente te
predicant, alia quoque cōplura, quæ per illū dñs
fecit prodigia, eius sanctitatem laudant. Huic
diuis Bernardus Clareualensis vix habuit,
quæ tantopere diligere t, similem. Nam ad
huiusmodi Canticorum cātica exposnit, & apud Ro-
mas

in animum pontificem vehementer egit, quod
epistolæ quoque eius testantur, ut Bernardus
ad episcopatum de monasterio extraheretur.
Omitto stephanum miræ sanctitatis episco-
pum Diensem, Ancelinum quoque episcopum
Beliacensem, cuius sanctitate præter alia mi-
racula testabantur lumina ad eiusdem funus
coelitus accensa. Deficeret me tempus si recen-
sere vellem reliquorum illustrium virorum ali-
quot legiones, sanctitate conspicuos, eruditio-
ne præstantium: quos cum alieni magis laudibus
effertur, turq̄ in gremio abscondos tuos fili-
os hactenus siluisti. verum noui quid responde-
as: Humilitatis tutelæ gratia, tuos nulla vel-
le gloria ostentari: nulla eminentia offerri. Ac
quæ ista est humilitas, quæ religio, sub mo-
dio faces abscondere ardentes, ne luceant his
qui in domo sunt: subtrahere oculis lumen,
ne aut loci spectetur amenitas, aut sine offen-
diculo ambuletur: Non iniuria hac ex parte
eruditissimus quidam (quod tua pace dicam) te
coarguat, quod pietas in te lateat, & adeo lateat,
ut vix conspicisci possit. Sanctissimorum vi-
rorum doctorum libros, animarum thesauros
penes te seruas absconditos, nec producis, ut
ex te multi gaudeant, multi reficiantur. Qua
propter (quod Sapiens monet) Deriuentur
fontes tui foris, & in plateis aquas tuas diui-
de. Verum hæc tua pace dixerim, idque quam
institue

institueram diffusius. Equidem vnus Dionysii
gesta enarranda susceperam. E quibus
tamen sola quæ certissima veritate & gesta
& scripta comperi, huc congeffi. Nam referuntur
alia quædam sanctitatis eius argu-
menta, non minus præclara quam stupenda,
de quorum etiam veritate nihil prorsus am-
bigitur: quia tamen narratione sola nobis
tradebantur, haud quaquam huc inferenda
decreui.

¶ Reuelationum Dionysio diuinitus factarum
eo maxime tempore quo Turca Constanti-
nopolitanum sibi subiugauit imperium, vnâ
aut alterâ ædificationis gratia annectere hic
placuit, propterea quod in hæc ipsa quoque nostra
tempora respicere viderentur: quarum veri-
tatem sentimus heu iam magis quam credimus.
Has inter complures alias, sua manu ac stilo
scriptas reliquit Dionysius, suo tamen supple-
to nomine, idque humilitatis gratia, ne suam
dei gloriam quæsisse videretur.

Quidam religiosus in solennitate Pu-
rificationis beatissime virginis in sum-
ma Missâ, toto conuentu presente &
inspiciente, ab exterioribus sensibus alienatus
atque in spiritu factus, & mente ad dominum ra-
ptus, post aliquantulam increatæ lucis ac
superbeatissimæ trinitatis contemplatio-

plationem, more sibi solito cœpit mox totis
præcordijs diuinam exorare clementiam pro
tota militante Ecclesia, & eius reformatione
in omnibus. Cui dominus maiestatis inuisio-
ne intellectuâ & anagogica statim respon-
dit: Quid vis? & quidoras pro Ecclesia?
& ille: Obenignissime deus, vt digneris eam
pijssime intueri ac reformare, atque de mani-
bus perfidorū, a quibus nunc crudelissime de-
uastatur, eruere: ad pristinū quoque gratiæ
decus reducere. Ad hæc dominus vniuersita-
tis protinus dixit: Ecclesia quasi tota auersa ē
a me & deformata: & a summo vsque ad in-
firmum, a vertice vsque ad calcaneū non inue-
nitur in ea integritas vlla, pro maxima parte
Attamē multi boni, imo sancti aliqui sunt in
ea. Ad quod frater respondit: Misericordissi-
me deus, petim⁹ misericordiam Duplex est
via veniendī ad te: via misericordiæ, & via
iustitię. Petimus vt sup̄ misericordissime agas
nobiscum Cuidñs ait: & vis vt tot, & tanta
scelera Ecclesiæ dimittam profus inulta: vis
vt non agam iuxta tenorem sapientiæ meæ.
Ad quod frater: O clementissime dñe deus,
rogamus vt superpijssime præuenias nos, &
corde nostra compūgas, emollias, & conuer-
tas ad te. Maior est infinitum bonitas tua,
quam prauitas nostra. Non nobis dñe nō no-
bis sed nomini tuo da gloriam. Non secundū
peccata nostra facias nobis. Ad quod dñs: Qz
uis

Pla. 113

uis ego omnia possum, tñ iuxta censuram sa-
pientiæ meæ omnia ago, & in operibus me-
is misericordiam iusticiamq; contempero.
Hoc ipsum quoq; protestatus sum, maximā
esse misericordiam, q; per flagella & aspera
visito in presenti, sicq; hominum corda ad mo-
neo & conuerto: Indurata sunt corda vestra,
nec per sola pietatis beneficia vultis conuer-
ti ad me. Diu sustinui, frequenter admonui,
& imminetia hæc aduersa prænuntiaui: &
quia non sequitur emēdatio, necesse est vt vi-
sitem per aduersa, quatenus vexatio tandem
det intellectum auditui. Ad hæc frater respō-
dit in spiritu: O superdulcissime deus, etsi nos
omni miseratione tua sumus indigni, tamen
parce nomini tuo magno, parce locis sacratis. Iohel. 2
Ecce iā multæ ecclesiæ miserabiliter sunt de-
structę, loca sanctissima profanata, vasa sacra
& Christi sacramenta impijssime conculca-
ta, & Christiana religio blasphematur. Ad
quod deus: Tu miraris & desles q; materia-
lia templa, & vasa sacra, & sacramenta cōcul-
cari & profanari permitto: & non potius q; i
materialia templa, videlicet ecclesiasticæ per-
sonæ seu animæ mihi in baptisate consecra-
tæ, in quibus per fidem & veram gratiam ha-
bitaui, ab inuisibilibus hostibus taliter con-
cultantur violantur: Nonne hoc est mihi ma-
xime iniuriosum? Imo quid mirum si illud iu-
ste permitto, quando vos ipsi sponte subditis
D iij vos

vos spiritualiter confuprādos ac violandos
aduersarijs mei honoris ac vestræ salutis: Ad
quod frater: O benignissime deus, in his per
secutionibus perfidorum multi simplices &
quodāmodo innocentes lamentabiliter op-
primuntur & trucidantur, sed & cultus tuus
minuitur. Et vbipauloāte Christiana religio
viguit, & Christi celebrantur mysteria, iā
sacrilega machometi sigmeuta coluntur, &
bestia illa spurcissima contra agnum mundis-
simum videtur quodāmodo præualere. Ad hæc
dominus dixit: Oppressionem illam simpliciū
ego bene scio eis ordinare in melius, & per
temporalia hæc aduersa eos in perpetuū sal-
uo. Ego demum tam bonus & sapiens sum,
Esa 54 quod pessima mala quæ tangis a perfidis fie-
ri, nequaq̃ permitterem, nisi decreuissem ma-
xima bona ex eis elicere. Et quo maiora sunt
hæc aduersa, quo obscuriora sunt tempora
ista: eo prosperiora sequentur, & aurea post
hæc tempora erunt. Non ita permitterem
Ecclesiam deprimi, nisi hac occasione vellem
eam erigere. Ecclesia ad extremam quandā
deformationem, ruinam, peruersitatem in-
gratitudinemq̃ peruenit, nec facili disciplina
potest purgari. Qui optimi essent in ea, pra-
uissimi facti sunt, & sine rubore præuarican-
tur. Sed & nomen meum intolerabilis
inhonoratur ab his qui fideles se nominant,
quam

quā ab his qui eos impugnant. Ad hæc Iob 9.
locutus est frater: O de⁹ altissime, nō est qui
sapientiæ tuæ valeat respondere. Actus pfa 146
men scire desidero, an perfidi isti sanctam
ciuitatem Romanam obtinebunt, an prin-
cipes etiam Christiani contra eos præliatu-
ri succumbent in prælijs. Ad quod dominus:
Hoc tibi dici vel alijs prænunciari non expe-
dit. Sed & si succubuerint in prælijs, meli-
us vincunt quam si corporaliter præualerent.
Ex hac responsione frater aliquid intellexit,
quod non putauit huic schedulæ inferendum.
Propter quod ardentissima affectione con-
uersus ad dominum, rursus cœpit pro com-
muni bono Ecclesiæ exorare. Et ecce vidit
in spiritu, totam triumphantem Ecclesiam
diuinæ maiestati humilime inclinatam, &
pro tota militante Ecclesia deuotissime de-
precantem, & quasi conantem tenere ma-
num omnipotentis extentam ad percucien-
dum Ecclesiam in exilio isto degentem: nec
aliud potuit obtinere ecclesia triumphans re-
sponsum a domino, nisi hoc: Iuxta mensuram
emendationis Ecclesiæ, erit mensura
remperationis imminentium persecutionū.
Ex hac responsione frater aliquantulum cō-
solatus & confortatus, clamauit in spiritu
O benignissime deus, omnes emendabim⁹ nos.

D iiii Suma

Deuz 5
Apo. 18

Summus pontifex, curia eius, cæteri tam superiores q̄ inferiores se emendabunt. Ad q̄d dominus: Et si iurauerint in nomine meo, uiuit dominus, hoc ipsum false iurabunt.

Qua responsiōe diffusius intellecta, q̄ in scheda hac tangetur, frater non mediocriter animo consternatus, sensit q̄ cœpit sibi ipse dimitti, atq̄ eodem momento clamauit repente ad dominum: In quo igitur o deus benignissime, in quo stat finalis conclusio? Et responsum est ei a dño: Iuxta mensuram emendationis vestrae, erit mensura temperationis castigationis meae. Quo audito, finita est visio ista, qua deus dignationis immensae cum homuncione pauperculo, cum fragili ac luteo uasculo, dignatus est ex sua pietate immensa, taliter se habere & sic loqui. Cœpit q̄ frater ad se ipsum reuerti ac sibi restitui, viresq̄ corporis paulatim resumere ac sensibus reddi, non sine graui fragilis carnis afflictione. Deinde post hoc etiam in aliorum praesentia a lachrymis se continere non valens, sic mansit ex praescripta visione compunctus & debilitatus, q̄ in prandio manducare nequiuit, sed distulit refectiōnem in coenam. Durauit autem haec visio per totum fere tempus Missae conuentualis hoc anno. Praeterea in tota hac visione deus habuit se per modum regis ac iudicis indignatis, irati & amaricati propter nimia peccata Ecclesiae; ita q̄ videbatur non posse flesti

a ri

a rigore suae iustitiae, nisi per emendationem condignam populi christiani. Itaq̄ religiosus, cui ostensa sunt ista, quantum ad suam pertinet paruitatem, totis precordiis vniuersos & singulos exhortatur, & affectuosissime rogat, vt vnusquisq̄ iuxta suae exigentiam uocationis efficaciter se emendet: quia reuera valde ac summe necessarium est, vt non solum temporalia haec aduersa, sed & aeterna tormenta euadere mereamur, atq̄ perpetuam beatitudinem obtinere. Nec quisq̄ miretur, q̄ frater hanc visionem personaliter publicauit, q̄ nam dona gratiae gratis dare ad communendam vtilitatem: idcirco sunt publicanda, put causa requirit & expedit. Hinc enim sancti prophetarum, quibus humilissimi, tamen visiones suas diligentissime descripserunt, totiq̄ mundo inuauerunt, sicut & vas electionis beatissimus Paulus apostolus raptum suum usq̄ ad tertium caelum & reuelationem arcanam toti significauit ecclesiae.

Annodominum M. CCCC. LXI. Dominus Reuelatus in passione, in ipso Missae officio, religiosus praefatus, astante & conspiciente conuentu, ab exterioribus sensibus alienatus, pro communi bono Ecclesiae dominum exorauit in spiritu, dicens: Vtique quo o super misericordissime & superdignissime deus non est inuenire diu desideratam ac frequenter postulatam misericordiam coram te. Quod diu claudis

D v dis

Sap. II

Conclusio

1 Cor 12
2 Cor 12

dīs oculos benignitatis tuæ immensæ a calamita tibus, oppressionibus ac ruinis tuæ Ecclesiæ, nec preces pauperum seruulorum tuorū exaudis? Ecce aduersa pessima mala excre-
scunt, augentur & inualescunt quotidie. Ordo iuris subvertitur, & dies imminere videntur de quibus diu insonuit rumor. Ad hæc verba mentalia mox diuinum respōsum factum est fratri in spiritu, dicens: Quicquid de hac re audisti & cogitasti, ita in veritate habet. Audierat autē frater iste paulo ante tristes rumores de quiquisdam tribulationibus magnis, in aliis quibus terris paulatim nascentibus: cepitq; cogitare hæc esse præambula tribulationū maiorum in ecclesia paulo post futurarum, de quibus quidam diu prædixisse leguntur. Itaq; responso illo audito, locutus est frater: Confido o domine, q̄ prænuntiatio illa de imminentibus illis malis ad comminationis pertineant prophetiam, quæ non semper impletur. Respondit dominus: Viam misericordiæ poenitentibus non præcludo: atq; vt ante aliquot annos contestatus sum tibi in simili visione, secundum mensuram vestræ emendationis, erit mensura mitigationis meæ castigationis seu futuræ afflictionis. Reuelationem tunc tibi factam vndiq; propalasti, & vsq; ad Romam insinuaisti, & quæ interim emendatio est secuta? Nōne ruisse sentis ac dicere soles, q̄ incomparabiliter magis expediat genti peccas

peccatrici, ac deformatissimæ plebi Ecclesiæ temporaliter castigari, suppeditari, depauperari, q̄ in hac pessima vita, quæ non est vita, sed mors, seculariter prosperari, ac damnabilissime perdurare atq; impune peccare? Ad hoc frater prædictus respondit: Nil verius dici potest. Sed vtinam reformatio ecclesiæ stici status fieret ordinate, & absq; tua offensa. Ad quod responsum est fratri: Et si hi, ad quos ex iure & officio spectat, Ecclesiæ diligentiam debitam non impendant pro reformatione eadem, & imprimis pro emendatione propria & condigna, nonne iusto id putas permitti iudicio eius, qui vniuersa moderatur ac temperat, vt dispositiue fiat per eos, qui ad hoc auctoritatem non fortiuntur? Respondit frater: Etiam domine deus omnipotens, in cuius dispositione & gubernatione sunt cuncta posita. Hoc certissime constat, q̄ summa, perfectissima & supergloriosissima providentia tua, sine iusta & rationabili causa, nil mali sinat fieri: imo interdum grauissima & generalia fieri mala permittis, quatenus ex eisdem præclarissima atq; communia bona elicias. Verum o gratiosissime deo, de hoc nunc cupio plenius edoceri, quid tot tantisq; malis imminentibus restet populo Christiano potissime clero agēdū. Rōdit dñs vniuersitaris: qd̄ quisquod ex scripturis agnoscis? Nōne sis scriptū: sem̄ loq̄ deo, & sed o idipm nō repetit. Hac

Hest. 15

Iob. 35

Hac responsione suscepta. frater conuersus in
 trorsum, & quasi in regione lucis immensę se
 positum cernens, suauissime cum ingenti trās
 quillitate clamauit secreto, non perstrepen-
 te aut foris sonante clamore, ad secretissimum
 & vere absconditum in cōprehensibilem deū:
 O superamabilissime deus, tu ipse lux es & re-
 gio lucis, in te ipso lux es, regio quoq; lucis,
 in qua tui electi dulciter conquiescunt, repau-
 sant, soporantur, obdormiunt. Tu velut sup-
 uatissima, planissima ac impermeabilis ere-
 mus, in qua mens vere deuota, & a priuato
 amore prorsus purgata, desuper illustrata ac
 valide inflammata, inerrabiliter deuiat, atq;
 indeuabiliter errat: feliciter deficit, indeficien-
 terq; conualescit. Nempe in te neq; principiū
 inuenit, neq; finem, sed omnimodam potius
 incomprehensibilitatem. Te superplendissi-
 mo totius sapientię fonte mentem illustran-
 te, repente veritas innorescit: teq; piissime illu-
 strante, nunc cerno, quid nobis miserimis re-
 stet agendum: hoc vtiq; vt vnusquisq; fidelium
 secundum suę exigentiam vocationis tibi cō-
 digne seruire conetur, ac reformare seipsum,
 & tuum metuendissimum formidare iudiciū.

¶ In his & consimilibus colloquutionibus
 mentalibus ac internis fuit prænominatus in
 præacta abstractione, & mansit frater ille p-
 totum fere officium Missę, in qua multa au-
 diuit & vidit, q̄ nec auDET nec expedit in ista
 cōscri

Conclu-
 sio.

conscribere schedula. Et certe nec ista sine grā
 di tangit rubore. Nec enim huiusmodi mentis
 secretum esset pandendum, nisi magnitudo
 exigeret causę, & bonum efflagitaret com-
 mune. Hinc nemo hæc legens seu audiens in-
 terpretetur sinistre. Siquidem & frater iste p-
 prię sibi conscius defectuositatis, occultum q̄
 q; dei expauescens iudicium, mallet quantū
 in ipso est, q̄ ista & cōsimilia p̄ alios ipso mul-
 to meliores deus glorię reuelaret ac nuntia-
 ret. Porro dispositioni voluntarię eius nemo
 valet resistere, qui sua vtitur creatura liberri-
 me veluti instrumento. Nunc igitur frater
 iste vniuersos ac singulos hortatur & depre-
 catur fideles, potissime clericos & præfidentes
 ac prælatos, vt se protinus cum omni diligen-
 tia & conatū emendent & reforment, recon-
 silientq; deo, ne tantis ac talibus plagis, flagel-
 lis ac cladibus visitentur, quod ab exordio ec-
 clesię vsq; in præsens nunquam huiuscemodi
 contigerunt: imo potissime, ne æternaliter cō-
 denentur. Breuis namq; est vita præfens, & ar-
 cta omnino via salutis. Deniq; modo verissi-
 me dicitur illud Psal. Nisi conuersi fueritis, gla-
 dium suum (summus iudex) vibrabit, arcum
 suum terendit & parauit illum. Et in eo para-
 uit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effe-
 cit. Et quod ait in euangelio saluator: Nisi po-
 nitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Et
 denuo quod sanctificatus in vtero Hieremias
 prædixit.

Mat 7

Psalm 1

Luc 13

Hier 23

prædixit : Ecce turba dominicæ indignatio nis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet. Non reuertetur furor domini vsq; dum faciat: & impleat cogitationes cordis sui, dabitq; impios in vexationem & maledictionem, & in stuporem ac sibilum & obprobrium sempiternum, eo q; nō audierunt verba eius, nec præcepta eius impleuerunt. Postremo in visione præfata vidit frater præfatus futuram reformationem Ecclesiæ, & omnem spiritalem eius decorem designatum per pulcherrimam ac præciosissimam vestem indicibili venustate artificiosissimæ varietatis colorum ac picturarum perfusam, iuxta illud: Myrrha & gutta & calia a vestimentis tuis, a domibus eburneis. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Verum de hoc tantumdem tetigisse sufficiat. Et illud Michæe prophætæ formidolose pensemus, ac de proximo imminere sciamus, nisi emendatio iam præscripta interueniat: Ecce ego cogito malū super familiam istam, dicit dominus, de quo nō auferetis colla vestra, & non ambulabitis super

Reuelatis 3.

bi, eo q; tempus pessimum sit.
Quamuis secreta diuina soleant frequentius seruis dei reuelari nō in medio hominum, aut in præsentia plurimorum, sed in solitudine aut seorsum (propter qd ad Ezechielē prophetā dñs dixit: Egredere in cāpū, & ibi loquar tecum) interdum tamen in præ-

sentia aliorum manifestat altissimus incerta & occulta sapientiæ suæ ac futurorum, quatenus seruis dei, quibus talia ostenduntur, celerius certiusq; credatur, atq; hi q̄s reuelata concernunt, formidolosius audiant ea, & se diligentius examinare conentur. Porro reuelatio talium ad dona pertinet gratiæ gratis datæ: ideo ordinantur ad utilitatē cōmunē, vt supradictū ē. Et si occultent, v̄git in detrimentū boni cōmunis. Hic manifestatio horum nō vanitati, sed v̄tuti est ascribenda. Sic ergo accipiatur hic recitanda. ¶ In dñica tertia post octauas Paschæ, in prima celebratione cuiusdam deuotissimi fratris, frater præfatus ab exterioribus sensibus alienatus, & factus in spiritu solito sibi more, tanto affectuosius coepit mentaliter deprecari fontem pietatis immensæ deum excellum pro pacificatione atq; concordia principum Christianorum, quanto tunc tristiores audiuit rumores de imminente graui conflictu præcipuorum totius Christianæ religionis magnatum regum ac ducum. Sicq; frater iste in precibus suis affatus est dominum: O misericordissime deus, vsq; quo nō succurris Ecclesiæ tuæ: q̄ diu permittes eam sic conculcari? Ecce principes isti magni qui modo essent primi in defensione fidei & expugnatione aduersariorum eccl̄iæ tuæ, in dilatactione delictū et cultū tui diuini, in cōfortatione populi Christiani (vt fert) disponunt se ad impugnandū seuiicē. Heu quæ strages ide cōsequetur. nōne totus populus Christianus esset vnus exercitus ad dimicandū con-

corditer contra Christianæ religionis ac fidei inimicos: Et quid tam prauum, tam periculosum in ipso exercitu, sicut diuisio, discordia & impugnatio mutua? O quantum gaudent perfidi Turcæ, increduli Saraceni, omnesque hostes Euangelicæ legis, dum tale ac tantum esse se malum audiunt in populo Christiano. Nonne infra roborantur malitiæ? Celeriter quoque ac feliciter præualituros se iactant, insipientiamque derident Christianorum. Ad hæc & multa consimilia querulosa & deprecatoria verba interna, responsum est de super fratris quasi ex ore Christi, deinde ex persona vniuersalis Ecclesiæ. Dixit quippe saluator: *Vides ne ingratitude populū Christiani & principum horum? Pro modica hæreditate terrena exacuunt corda & arma, cum tamen aliter ac melius ad iustam suæ discensionis concordiam possent pertingere. Porro pro recuperanda hæreditate mea electa & sancta terra, in qua redemptionis humanæ cõpleui mysteria, nullo aut modico feruēt zelo. Interim in suis lasciuunt stratis, & longos capiunt fominos, quasi pacata iam sint omnia: nec fratribus fratrum suorum, ab infidelibus crudelissime oppressorum, calamitatibus condoleat aut succurrunt. Nunquid per tales expugnatione incredulos, qui ipsis incredulis sunt peiores? Indecentissime quoque sunt vestiti. Ideo nisi iam respiscant, arguā eos in furore & irigo-*

re iustitiæ: & quibus plura donauī, & maiora commisi officia, acerbiora infligam supplicia. Ad hæc & plura huiusmodi frater respondit: O clementissime Christe, verbum æternum, propter nos incarnatum, & crucifixum, parce queso, ignosce & subueni plebituæ, præueni, tange, conuerte corda nostra quæ excæcata & indurata, vt quæramus & sapiamus quæ tua sunt, sicque vnanimiter resistamus hostibus tui honoris, nostræque fidei ac salutis. Ad hæc iudex respondit supernus: *Scriptum est, semel loquitur deus, quoniā in scripturis suā aperit voluntatē. Quid tibi amplius habeo respondere? quod restat cõsulare? Aduerte scripturā, audi matrem tuā, sponsam meam sanctā Ecclesiam, quæ inhabitantē se habet spiritū meum, spiritū sanctū, qui omnem docet & suggerit veritatem.*

¶ Tunc repente quasi ex persona Ecclesiæ insonuit vox interioribus auribus fratris: *Audi fili mi voces & gemitus matris tuæ, pendente singultus & lamentationes dolorosissimæ fidelissimæ & affectuosissimæ mris. Pungunt & penetrant me intolerabiles amarissimique dolores, ipsis quoque inferni doloribus quodāmodo grauiores. Nonne dolor cõpassionis frequenter excidit dolorē passionis? quæ admodum & in sponso ac domino meo propter me & vos cruci affixo. Qualis putas me excruciarī, affligi, imo doloribus absorberi,*

Ioh. 33

Ioh. 14

Conclusio.

Ioh. 19

dum recolo qualis fueri olim, q̄ gloriosa, pos-
tens & incluta, oibus diuinorū charismatū af-
fluentijs decorata, toto orbe terrarū longe ac
late diffusa, sc̄tis pr̄latis vndiq; fulgēs, strē-
nuissimis ac virtuosis principib⁹ gaudēs, & p̄
eos de aduersarijs meis pr̄clare triūphans, in
numerabilib⁹ turmis deuotissimorū religio-
sorū vtriusq; sexus coruscās, collegijs quoq;
innumeris & p̄sonis cōstitutis in sacris ordi-
nibus, in timore Dei & obseruantia regulari
cōuersantib⁹, pornatac Ex qbus oibus plebs
cōmunis mirabiliter ac salubriter edificabat̄,
& numero ac merito creuit, intantū q̄ & infi-
deles passim & vndiq; cōuertebant̄ ad Chris-
tū, & mihi incorporabant̄. Insup̄ in quatuor
mēdicantiū ordinib⁹ gloriabar, in qbus abun-
dauī p̄sonis literatis ac feruidis, regulariter
exēplariterq; viuētibus, p̄ quos saluberrime
fructificauī ad cōuersionē, p̄fectū ac beatitu-
dinē plurimorū. Sed heu heu heu, iā oīa sunt
eurefa deformata & lapsa. Obscuratū est aur̄
mutatus est color optimus. Et ego ipsa olim
tā gratiosa & pulchra, tā potēs ac splendida,
deformis effecta sum, exāguis & hispida, ege-
na infirma & cōculcata, atq; adhūc augulū oc-
cidētis redacta & coarctata. Nec tāta mea ca-
lamitas angustia & pressura sufficit hostibus
meis, quinimo in hoc etiā angulo me conant̄
opprimere & delere. Iā quatuor patriarchas
les amisi Ecclesias, & p̄didisti Romane sedis lo-
um

cum & vrbē pr̄sumūt adipisci ac demoliri.
Prætea hoc nūc sup̄ oīa me cōtristat, & vifera
charitatis ac pietatis meę trās fodit, dilace-
rat & extorquet, q̄ nō obstātib⁹ tot ac tan-
tis aduersitatib⁹, cladib⁹ & dimēbrationibus
mei, video filios meos cōtra se inuicē inflāma-
ri, dissidere, cōfligere, sicq; hostiū suorū manus
iuuare, ac illis cooperari, id diminutiōe cōcul-
cationeq; mei, imo in dilaniādo ac p̄sequēdo.
me m̄tem suā mortissimā. Nūc ergo o filij re-
dite ad cor, audite me & acq̄scite mihi. Igno-
scite mutuo, & causas v̄ras sc̄d̄um tenorē ius-
titie, p̄sequamini charitate, cōfugiendo ad su-
perioris v̄ri iudiciū. i. Romani p̄d̄ficis, aut sy-
nodi ḡnālis, quę certe a sp̄s̄ctō dirigit̄. Noli-
te me m̄tem v̄ram in filijs meis p̄ximis v̄ris,
igne & gladio deuastare, egenos opprimere,
ac inuicē trucidare. Imo potius p̄ verā contri-
tionē recōciliamini Deo, & cōdolete p̄ximis
& cōfidelib⁹ v̄ris, q̄ ab infidelib⁹ & tyrannis se-
uissimis quotidie deuorant̄ gladio, fame, cas-
priuitate, tributo vastant̄. Quorū filij & filie
adhuc infantes ad infidelīū terras mittuntur,
quatenusa sanctissima atq; m̄d̄iss̄. Ch̄ri lege
abstracti, iūuāt lege, imo turpissima fece, su-
perstitiōis figmētis, falsissimisq; doctrinis spur-
cissimi ac immūdiissimi Machmeti. Hāc fidelis
simę ac desolatissimę m̄ris v̄rę benignę admo-
nitionē gratā rer obediēterq; suscipite, & im-
plete. Ad laudē & glām omnipotētis. Amē.

E ij Ethęc

¶ Et hæc quidem de Dionysij vita. Cæterū de ipsius scriptis, vt cognoscas librorum eius elenchum, operæ precium est illum quem sua manu scriptum ipse reliquit, afferre vt sequit̃.

A Religiosis alijsq; venerandis amicis frequenter atq; per plures annos, ego frater Dionysius Carthusiensis rogatus sum scribere nomina seu titulos opusculorū meorū. Distuli autē hucusq; , reputans apud me ne forte hoc ipsum vanitati, nō virtuti ascribatur, præsertim quū quidā magnorū sua legātur occulasse opuscula pro posse, quoad vltq; vixerunt in carne. Sed reclamauit synte res virtus, submurmurans & affirmās: & si bonum est talia ex humilitate celare, melius tamen & fructuosius est ex charitate huiusmodi propalare & cōmunicare. Cū & sacratissimus dicat princeps Apostolorū: Vnusquisq; sicut accepit gratiā in alterutrū illā ad ministrantes. In Ecclesiastico quoq; legitur: Thesaurus inuisus & sapientiā abscondita, quæ vtilitas in virisq;. Ad hoc accedit & confert, quod Gabriel dixit archāgelus: Qui multos erudiunt ad iustitiā, fulgebunt vt stellæ in perpetuas æternitates. Interea forsā quis dicet: iam tot & tanta a sanctis catholicis viris, illuminatis doctoribus cōscripta sunt, vt opus non sit plura conscribere. Verū ad hoc **Io. Ger.** Ioannes Cancellarius Parisiensis respondet: In mensa sapientiæ, in refectorio militantis Ecclesiæ

